CONC. NAZ.
PROV. DIOC.
162
B
56.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
B
56
NAPOLI

CONSTITVTIONES EDITAE IN DIOECESANA SYNODO HOSTVNEENSI.

Anno Domini M. D. LXXXVI.

Ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino
IVLIO CAESARE CARAFA
Epiſcopo Hoſtuneenſi.

[redacted]

ROMAE,
Apud Iacobum Ruffinellum. 1588.

Permiſſu Superiorum.

INDEX TITVLORVM
Synodi Hoſtuneenſis.

PRIMA PARS.

De ijs, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores.

DE Profeſſione fidei. pag. 1
Forma profeſſionis fidei. 2
De præcedentia & nemini præiudicando 7
De prædicatione Verbi Dei 8
De librorum vſu, Imaginibus, & repræſentationibus ſacris 12
De ludi Magiſtris 14
De Cultu & obſeruatione feſtorum pag. 15
De obſeruatione Ieiuniorum 22
De Blaſphemia 23
De Simonia 25
De vſuris & illicitis contractibus pag. 26
De concubinarijs 28

ſationem Monialium 146
De eligenda Abbatiſſa, & officialibus Monaſterij 154
De Clauſura Monialium 161
De Exercitio ſpirituali Monialium 163
De Confraternitatibus Laicorum pag. 165
De Quæſtoribus 168
De Teſtibus Synodalibus, & quæ ad Synodi obſeruationem pertinent. 168
Litteræ Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Cardinalis Carafæ, ad Illuſt. & Reuerendiſs. D. Epiſcopum Hoſtuni datæ. 172

FINIS.

CONSTITVTIONVM HOSTVNEENSIS SYNODI

Prima pars.

De ijs, quæ pertinent ad profeſſionem fidei, & bonos mores.

De profeſſione fidei. CAP. I.

CVM ſancta, & Catholica fides, initium & fundamentum totius ædificij ſpiritualis exiſtat; quod à Chriſtifidelibus per bona opera in dies augetur, quouſque ad æternæ vitæ beatitudinem perueniat, faciẽdum duximus, in hac Diœceſana Synodo tam Clericis, quàm Laicis formam, perfectæ, ac reformatæ vitæ tradituri, prius ab eiuſdem fidei profeſſione exordiremur. Nam, vt Apoſtolus ait, impoſſibile eſt, ſine fide placere Deo.

CAP. II.

IVxta igitur Decretum ſacri Concilij Tridentini, præcipimus, vt quicunque benefi-

cium Eccleſiaiticum, cui cura immineat animarum, acquiſierint, intrà duos menſes à die, quo illius beneficij poſſeſſionem adepti fuerint, ex præſcripta formula à Pio Quarto Summo Pontifice, quam infra ſubijciendam duximus, orthodoxæ fidei ſuæ profeſſionem in manibus noitris, vel Vicarij noſtri facere teneantur. Qui autem de Canonicatu, aut dignitate in noſtra Cathedrali Eccleſia prouiſi fuerint, non ſolũ coram nobis, vel Vicario noſtro, ſed etiam coram Capitulo idem facere teneãtur. Alioquin fructus reſtituant, quia poſſeſſio nihil eis ſuffragatur.

Forma Profeſſionis fidei.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum consubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt de

Spiritu

Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas; & aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris; & iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis; & in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, filioque procedit; qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas: & vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum; & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitã venturi ſæculi, Amen. Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquasq. eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam, iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarũ Scripturarum, admitto; nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiã, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ legis, à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extre-

mam Vnctionẽ, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre, & ex ijs Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramẽtorum ſolemni adminiſtratione, recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verũ, & proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis; atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinẽ, vnà cũ aĩa, & diuinitate Dñi noſtri Ieſu Chři; fieriq; conuerſionẽ totius ſubſtãtiæ panis in corpus, & totius ſubſtãtiæ vini in ſanguinẽ, quam conuerſionẽ Catholica Eccleſia tranſubſtãtiationẽ appellat. Fateor etiã ſub altera tantũ ſpecie, totum, atque integrũ Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, Animaſq. ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter & ſanctos vnà cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe; eoſq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero, imagines Chriſti, & Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum

Sancto-

Sanctorum habendas & retinendas eſſe, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe, affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtrā agnoſco, Romanoque Pontifici, beati Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia, à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulq; contraria omnia, atque Hæreſes quaſcūque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in meo munere ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantū in me erit, curatu rū: Ego idē N. ſpondeo, voueo, ac iuro; ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

C A P. III.

AD id etiam Scholæ magiſtri teneantur, ſiue Clerici, ſiue Laici ſint,& quamcunque facultatem,etiam ſi prima elementa grammaticæ,& in priuatis domibus doceant, vel in poſterum illud munus obire cœperint, adeo quod ſi qui non ſolum in hac ciuitate, ſed etiam per Diœceſim pueros publicè,vel priuatim ad literas informant, nondum profeſſionem fidei fecerunt, etiam intra quindecim dies in manibus noſtris,vel Vicarij noſtri profiteantur, aliàs eis interdicta ſit poteſtas docendi, & nihilominus qui obedire recuſauerint, contra eos ad excommunicationis ſententiam procedetur.

C A P. IIII.

SIquis in aliqua Parochia de nouo ad Grammaticam, vel aliquas diſciplinas pueros, vel adoleſcentes inſtituere incipiet,ſiue huius Diœceſis ſit, ſiue exterus, Parochi ad nos ſtatim deferant, vt ſcire poſſimus num is profeſſionem fidei emiſerit. Parochus, qui in hoc deliquerit, pœna ducatorum decem mulctetur.

CAP. V.

ETſi Parochis quantũ poſſunt vigilandum eſt, ne in ſuis Parochijs ſcandala oriantur, in eo tamen vigilantiſſimi eſſe debent, ne quis de hæreſi aſperſus, aut de fide ſit ſuſpectus. Quòd ſi ſcient aliquẽ de religione, ac fide nõ rectè ſentientẽ, id ſtatim ad nos, uel Vicarium noſtrum deferant. Videre enim oportet, ut is tanquam ouis morboſa curetur, ne illius mali contagio ſerpat latius, & cæteros lædat. Parochus, qui in hoc negligens erit, excommunicationi ſubiaceat.

De præcedentia, & nemini præiudicando.

CAP. I.

CVM deceat æqualem omnibus iuſtitiam ſeruare, ſtatuendum duximus, vt ſi quis Archipresbyterorum, aut Curatorum, aut Sacerdotum, & aliorum in huius Synodi actis, vel dum ipſa eius decreta promulgabuntur, vel aliquo modo diſcutientur, non debito forte loco ſederit, aut vocatus fuerit, aut quocunque modo votum protulerit, aut quemcunque actum exercuerit, nullum ob id præiudicium generatum, aut

nouum ius in futurum acquiſitum eſſe intelligatur.

De prædicatione verbi Dei.

CAP. I.

COncionatori verbi Dei quam neceſſaria ſit honeſta,& probata vita,Chriſtus prædicatorum omnium auctor, & magiſter indicauit,cum facere prius ipſe cœpiſſet,ac deinde docere. Quoniam igitur qui verbum Dei annunciant, ad eam rem incumbere debent, vt errantes oues ad Chriſti Domini ouile reuocent,& peccatores ad pœnitentiam conuertant,ſumma ope niti debent, vt exemplo probæ,ac ſanctæ vitæ prius alijs prædicent.Tunc enim eorum oratio non modo non contemnetur, ſed ſumma etiam audientium cupiditate audietur,ac apud illos maximum pondus erit habitura.Cuius enim vita deſpicitur,eius quoque prædicatio contemnitur.

CAP. II.

SVbtiles, atque inanes diſputationes, quæ potius in ſcholis, quàm in concionibus agitari debent, omnino efugiant, illaq. tantum prædicent,quæ audientium captui, atq; ſaluti

ſint accommodata. Quòd facile aſſequentur, ſi oſtentationem fugientes, ſimpliciter ſine fucis virtutes laudabunt, vitia reprehendent, vias proponent, atque modos, quibus hæc declinentur, illę appetantur.

CAP. III.

SAepiſſimè concionatores populo commendent, atque inculcent, vt Sacramenta frequentet, vt in bonis operibus pergat, atque proficiat, vt Eccleſiaſticas cæremonias obſeruet: Superioribus, præſertim animarum paſtoribus, & Eccleſię præſidibus obtemperet, ſępe orationi, atque ſpiritualium librorum lectioni uacet, & demum ut parentes rectè filios educant, & in diſciplina Dei inſtituant.

CAP. IIII.

QVæ in hac ſacra Synodo præcipuè prædicatoribus præcipienda duximus, ab eiſq. obſeruanda mandamus, ſunt, ut tempore Quadrageſimæ, antequam prædicandi munus agrediantur, nobis, uel Vicario noſtro ſe præſentent, etiam ſi à nobis acceſſiti fuerint, & conducti, vt à nobis poſtea benedictione, & documentis aliquot acceptis, prædicationem melius, ac fructuoſius proſequantur.

tur.Si quando eueniet,vt ſibi vel à priuatis hominibus, vel ab ipſa vniuerſitate minimè ſatisfactum eſſe opinentur,caueant, ne à pulpito de quoquam conquerantur, ne auaritiæ labem, aut lautæ vitæ ſuſpitionem preſeferant, & fidelibus ſcandalum præbeant. Eo ſtipendio, aut mercede contenti ſint,quæ publicè ſibi ſtatuta, aut oblata fuerit,ne, non quę Ieſu Chriſti,ſed quę ſua ſunt, quęrere conuincantur. Porrò in concionibus nullam ſibi,vel alijs mercedem,aut eleemoſinam ſine noſtra licentia petant. Indulgentias, aut noua miracula, niſi à nobis approbata,ne annuncient. Omne autem facetiarum genus deuitent, iocos, & quę riſus mouere poſſint, prędicationibus ne admiſceant, ne propterea prædicatio contemnatur.Præterea pręcipimus, ne à pulpito quẽquam nominatim reprehendant,ne uè ita circumſcribant,vt is aliquó modo auditoribus in ſuſpitionem veniat. Concionem, qua Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti quotannis exponi ſolet,de nocte non habeant.Si tamen eam die Iouis habere voluerint, veſperi ſic incipiant, vt ad primam noctis horam concio ſit abſoluta. Sin autem die Veneris eam habere voluerint, illam niſi mane ad Auroram inchoari prohibemus.Siquis eorum aliquod,quæ à nobis decreta ſunt, non ſeruauerit, ſi regularis fuerit, à ſuo ſuperiore, qui à nobis hac de re

certior

certior factus fuerit, corrigetur; alij verò noſtro arbitrio ſeuerè punientur.

C A P. V.

NEquis huius noſtræ voluntatis ignorantia excuſari valeat, Vicario noſtro generali, ac reliquis alijs Foraneis quorumcunque locorum noſtræ Diœceſis mãdamus, vt quum primum prædicatores in eorum loca ſe receperint, in quibus Quadrageſimæ tempore ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium prædicaturi erunt, omnia, quæ ad ipſos pertinent huius Synodi decreta eis notificent, eosq́; moneant, vt diligenter ſtudeant, quidquid in ijs iubetur, inuiolabiliter obſeruare.

C A P. VI.

CAthedralis Eccleſiæ Clericis, cuiuſcunq; dignitatis exiſtant, ac aliarum Eccleſiarum noſtræ Diœceſis quibuſcunque mandamus, vt concioni, dum verbum Dei prædicatur, interſint, vt eorum exemplo laici ad audiendam concionem inflammentur, atque alacriores reddantur.

De librorum vſu, imaginibus, & repreſentationibus ſacris. CAP. I.

VT ſancta, & catholica fides pura, atque ſyncera conſeruetur, & à noſtra Diœceſi omnes libri vetiti expellantur, Clericis quibuſcunque, ac etiam laicis ciuitatis, & Diœceſis iubemus, vt quoties viſitationem peragemus, notam ſiue indicem librorum omnium, quos domi tenebunt, vel quoquomodo habebunt, ad nos, vel Vicarium noſtrum offerre teneantur. Siquis admonitus recuſauerit obedire, ſi laicus erit, excommunicatione ferietur, ſi Clericus, alijs etiam pœnis mulctetur, noſtro arbitrio reſeruatis.

CAP. II.

VLLO Bibliorum volumine, aut ſacræ Scripturæ libro, atque opere, in vulgarem linguam verſo, nemini, niſi de noſtra licentia, vti liceat. Qua in re Sacerdotes monitos eſſe volumus, vt iuxta librorum prohibitorum Indicem illos non abſoluant, qui prius opera ipſa ad nos non detulerint, aut ſuper hoc à nobis licentiam non obtinuerint.

CAP. III.

QVoniam in Eccleſia Dei nihil inordinatum, nihilq. præpoſterum eſſe debet, nihil, quod fidelium oculos, menteſq. poſſit offendere; nemo in Eccleſia facultatem habeat pingendi imagines, aut hiſtorias cuiuſcunque generis, etiam ſacras, neuè præterea aliquod imaginis ſimulacrum pictum, aut fictum, aut cuiuſcunque generis picturas collocare, aut retinere cuiquam liceat ſine licentia noſtra. Si Sacriſtæ, aut Parochi culpa, vel negligentia ſecus factum fuerit, arbitrio noſtro punietur,

CAP. IIII.

EXperientia compertum eſt, ſæpe ex repreſentatione, qua Domini paſſio recitatur, ob hominum indeuotionem, vel modum; qui in repreſentando adhibetur, paruum, aut nullum fructum, imò riſum interdum, atque contemptum ſubſequi ſolere. Quapropter Clericis, ac laicis quibuſcunque ſub pœna excommunicationis prohibemus, ne quo in loco noſtræ Diœceſis huiuſmodi repreſentationes agant, ne; quod ſæpe accidit, ex ijs repreſentationibus, pia quidem conſuetudine introductis, hominum malitia, eius abutentium, deſtruan-

ſtruantur potius, quàm ædificentur fideles,& pietatis,ac lacrymarum loco, riſus,iocusq. & contemptus excitentur.

De Ludi Magiſtris. C A P. I.

LVdi Magiſtri ſi ab officio ſuo diſcedere nolint,nõ modo profanis artibus, ſed rebus etiam ad ſalutem neceſſarijs debent pueros erudire. Quapropter eos monitos eſſe volumus, vt in ſuis Scholis etiam rudimenta fidei, & doctrinam Chriſtianam pueris tradãt. Parochi verò ſæpe Ludi Magiſtris id inculcabunt,curabuntq. vt id illi exequantur.

C A P. II.

STudeãt Ludi Magiſtri, & ſalutaribus monitis,& ſuo bene viuendi exemplo pueros ad virtutes excitare. Sed cum nihil magis valeat ad virtutes cõſequendas, quàm Sacramentorum frequentatio, præcipient ſuis diſcipulis, vt ſemel ſaltem in menſe peccata confiteantur,& qui per ætatem poſſunt, ſaltem feſtiuis diebus ſolemnibus per Sacramentum Euchariſtiæ ſe cum Chriſto coniungant. Aetas enim illa puerorum tenera eiuſmodi eſt, vt facile ad vitia, vel virtutes informetur, & quæ à teneris annis apprehenderit, ea ſoleat ad extremum vitæ perducere.

Expe-

C A P. III.

EXperientia docet, quòd lectione librorum impudicorum boni mores legentium corrumpuntur. Quamobrem Ludi Magiſtros hortamur, vt in Scholis ab exponendis libris abſtineant, qui res obſcœnas, aut turpes continent, ne pueri legendis illis, turpitudinem, aut obſcœnitatem animo imbibant. Qui hac in re nobis non obtemperauerit, ac ſuis in Scholis huiuſmodi laſciuos, impudicos uè libros legerit, ſi laicus fuerit, ſeuero Dei iudicio, eiusq. diſtrictæ vltioni ſubiacebit; Clericus autem alijs etiam pœnis ſeuerè à nobis punietur.

De cultu, & obſeruatione Feſtorum.

C A P. I.

DIuina lege, & naturali ratione admonemur, aliquot eſſe debere feſtos dies, in quibus fideles omnes, cæteris curis, atque negotijs ſæcularibus, & mechanicis ſoluti, ſpirituali animæ quieti attendant, diuinoq; cultui vacent. Sed in illis ipſis diebus re ipſa cognoſcitur, grauiora ſcelera committi ſolere, quàm in cæteris alijs hebdomadæ diebus, ob ignorantiam

rantiam multorum, qui dies feſtos putant ad corporis dumtaxat quietem; & ſolatium eſſe inſtitutos. Quamobrem Parochi ſæpiſſime populum doceant, vt diebus feſtis, ludis abſtineant, otium deuitent, à quo, velut ab radice, peccata multa oriuntur, in aliquo ſpirituali opere ſe exerceant, peculiarem orationem aliquam faciant, Miſſam, ac Dei verbum, prædicationemq. audiant, Veſperis interſint, Eccleſias, uel aliqua loca pia uiſitent, &, quod omnium maximum eſt, peccata confiteantur, & Euchariſtiam ſumant, in memoriam ſibi reuocantes illud diui Auguſtini; qui cum dixiſſet, Quotidie communicare, nec laudo, nec uitupero: ſubdit deinde; Octauo autem die communicare, & laudo, & hortor.

C A P. II.

QVoniam verò diebus feſtis non ſolum illicita, atque ſeruilis actio, ſed omnis emptio, atque uenditio, omneq; genus profanæ negotiationis Chriſti fidelibus interdictum eſt, mandamus omnibus, qui artes mechanicas exercent, ſub pœna excommunicationis, ne Dominicis diebus, ac alijs feſtis officinas ad uendendum apertas teneant, ijs dumtaxat exceptis, in quibus pharmaca, aut alia id genus pro infirmis, & ubi comeſtibilia, & po-

& potabilia venduntur, quæ ſunt ad quotidianum victum neceſſaria, quæ tamen ianuis clauſis, oſtiolo tantum aperto, poſt celebrationem miſſarum uendi permittuntur. His præterea diebus contractus, mercaturam, ac profanas negotiationes ne exerceant. Equis aut alijs animalibus ad uecturam, oneraq. portanda, ne utātur. Qui ſecus fecerint, præter amiſſionem rerum, quæ uehentur, alijs præterea pœnis, arbitrio noſtro reſeruatis, etiam excommunicationis mulctentur.

C A P. III.

SAtis Deo ingratos ij ſe præbent, qui nocte Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qua Dei filius è Virgine pro noſtra ſalute naſci dignatus eſt, non modo totis uiribus, omnique charitatis feruore Deum laudare, eiq; pro tanti beneficij munere gratias agere, non procurant, uerum etiam tēpus illud omne ludis, colloquijsq. uanis, alijsq. operibus effundunt, quæ illo potiſſimum tempore omnino à Chriſtiano homine, aliena exiſtunt. Quapropter præcipimus ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrenda, ne quiſquam ea nocte pagellis, talis, teſſeriſuè, aut ullo præterea ludi genere ludere audeat, ſed hortamur, & in Domino monemus, ut quoad poterit,

quiſque deuotè,& religiosè eam ſatagat peragere.

PArochis ſingulis Dominicis diebus inter miſſarum ſolemnia populo annunciĕt dies feſtos,& vigilias in tota ſequenti hebdomada occurrentes.Qui ſecus fecerit pœna librarum quinque ceræ laboratę puniatur. Sed eum ex abuſu quodã munus annunciandi feſtos dies, quòd proprium eſt Parochorum, & eorum, qui curam habent animarum, exerceri reperimus à Cantoribus, & eorum Subcantoribus huius ciuitatis,& Diœceſis,præſenti conſtitutione ſtatuimus, & declaramus, huiuſmodi officium ad Parochos ſpectare, atque de cæterò ab eis fieri præcipimus, citra præiudicium ad præſens Cantoratus obtinentium.Dies autem feſti, præter dies Dominicos in ciuitate, & Diœceſi obſeruandi, ſunt qui ſequuntur.

Ianuarius.

1 Circumciſio Domini.
6 Epiphania Domini.
17 S. Antonius Abb. deuotionis.
20 S. Sebaſtianus.

Februarius.

2 Purificatio B. Mariæ Virginis.

S. Bla-

3 S. Blaſius Protector ciuitatis.
24 S. Matthias Apoſtolus

Martius.

7 S. Thomas de Aquino.
12 S. Gregorius Papa intra ciuitatem.
25 Annunciatio B. Mariæ Virginis.

Aprilis.

25 S. Marcus Euangeliſta.

Maius.

1 SS. Philippus, & Iacobus App.
3 Inuentio Sanctæ Crucis.
8 Apparitio S. Michaelis Archangeli, intra ciuitatem.

Iunius.

24 Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ.
29 SS. Petrus, & Paulus Apoſtoli.

Iulius.

2 Viſitatio B. Mariæ Virginis.
22 S. Maria Magdalena, intra ciuitatem.

25 S. Iacobus Apoſtolus.

Auguſtus.

1 S. Petrus ad Vincula.
5 S. Maria ad Niues.
6 Transfiguratio Domini.
10 S. Laurentius Martyr.
15 Aſſumptio B. Mariæ Virginis.
16 S. Rocchus confeſſor.
25 S. Bartholomęus Apoſtolus.
28 S. Auguſtinus confeſſor. intra ciuitatem.

Septembris.

8 Natiuitas B. Mariæ Virginis.
21 S. Matthęus Apoſtolus.
29 Dedicatio S. Michaelis Archangeli.
30 S. Hieronymus confeſſ. intra ciuitatem.

Octobris.

4 S. Franciſcus confeſſor.
18 S. Lucas Euangeliſta.
28 SS. Simon, & Iudas Apoſtoli.

Nouembris.

1 Feſtum omnium Sanctorum.

Comme-

2 Commemoratio omnium Defunctorum, per horas Miſſarum.
11 S. Martinus confeſſ. intra ciuitatem.
21 Præſentatio B. Mariæ Virginis, deuotionis.
25 S. Catharina virg. intra ciuitatem.
30 S. Andreas Apoſtolus.

Decembris.

6 S. Nicolaus confeſſor. intra ciuitatem.
7 S. Ambroſius confeſſor. intra ciuitatem.
8 Conceptio B. Mariæ virginis
13 S. Lucia virg. deuotionis.
21 S. Thomas Apoſtolus.
25 Natiuitas Domini noſtri Ieſu Chriſti
26 S. Stephanus Protomartyr.
27 S. Ioannes Euangeliſta
28 Feſtum SS. Innocentium.
31 S. Sylueſter Papa, & confeſſor.

Feſta Mobilia.

Feria quinta in Cęna Domini per horas miſſarum.
Feria ſexta, in mane tantum.
Paſcha Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum duobus diebus ſequentibus.
Aſcenſio Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Feſtum Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus.
Solemnitas ſanctiſſimi corporis Chriſti.

De obſeruatione Ieiuniorum.

C A P. I.

Qvadrageſima, Vigilijs, & Quatuor anni temporibus, quiſquis ex aliquo legitimo impedimẽto cibis prohibitis abſtineri non poterit, ac propterea carne, ouis, aut lacticinijs ueſci voluerit, id ei abſque noſtra, vel Vicarij noſtri licentia, ſcripto habita, nè liceat; quam minimè cõcedemus, niſi prius medicus in ſcriptis fidem fecerit, neceſſariò ei cibis huiuſmodi vtendum eſſe. In noſtra autem Diœceſi Vicarij Foranei ijs tãtum huiuſmodi licentiam concedendi facultatem habeant, qui in lecto febre laborantes, iacebunt. Præterea ſub pœna excommunicationis prohibemus, vt tempore Quadrageſimæ nemo cuiquam carnem, aut alterius cibi vetiti genus aliquod vendere audeat, prærerquàm ijs, qui licentiam, à nobis ſcripto obtentam, oſtenderint.

C A P. II.

Porrò in omnibus Eccleſijs noſtræ Diœceſis,

ſis,in quibus tempore Quadrageſimę verbum Dei prædicatur, Parochi, & cum eis Concionatores curabunt, vt in Hebdomada ſancta Oratio quadraginta horarum fiat.

De Blaſphemia. CAP. I.

EXecrabile vitium blaſphemiæ, quod proprium Dæmonum eſt, atque damnatorum, qui ſanctum Dei nomen, ac Sanctorum eius blaſphemare in Inferno nunquam deſinunt, ab omnibus non modo fugiendum eſt, verum etiam piæ fidelium aures illud abhorrere debēt,& quoad fieri poteſt,hoc immane ac peſtiferum peccatū penitus exterminare. Itaque nos ex Decreto vltimi Lateranenſis Concilij, tam Clericis, quàm Laicis præcipimus, vt cum blaſphemare in publico nomen Dei, quod abſit,aut B. Mariæ Virginis,aut reliquorum Sanctorum audierint,non ſolum in blaſphemos, iuxta Ieſu Chriſti Enangelium, fraternam correctionem faciant,ſed ea etiam de re Iudicem laicum,aut ſpiritualem doceāt, vt is,qui ſcelus hoc impium admiſerit,puniatur,& alijs exēplo,ac terrori eſſe poſſit. Quocirca Parochis omnibus mandamus, vt vbi ſodalitas nominis Dei nondum erecta, inſtitutaque eſt, cuius peculiare quidem inſtitutum eſt,blaſphemos corrigere, quàm primum eri-

gendam curent.

CAP. II.

SI quis Clericus de blaſphemia, quod abſit, conuictus fuerit, non ſolum iuxta diſpoſitionem eiuſdem ſupradicti Lateranenſis Concilij, ſed alijs pœnis etiam grauioribus contra eum proceditur, etiam vſque ad priuationem beneficiorum, ſi incorrigibilis reperietur. In Laicos autem animaduertetur iuxta Bullam Pij Quinti contra blaſphemos aditam. Pœnitentiarij verò, ac cæteri confeſſores, quibus facultas erit abſoluendi huiuſmodi blaſphemos, ne abſoluant abſque ſeuera pœnitentia iuxta blaſphemiæ qualitatem.

CAP. III.

QVoniam verò ex ludo ſæpe oriri ſolet materia blaſphemandi, ſtrictè præcipimus omnibus ſub excommunicationis pœna, ne quiſquam domi publicum aleatorium, quod vulgo dicitur barattaria, tenere audeat. Ac propterea Dominos temporales, & Regios Magiſtratus in Domino exhortamur, vt huic rei diligenter attendant, auctoritatemq. ſuam interponant, & Ludorum genus huiuſmodi omnino prohibeant.

De Simonia. C A P. I.

MAlitijs quorundam, atque ignorantiæ occurrere volentes, qui de bonis Eccleſiaſticis perinde, ac de patrimonialibus, & pro ſanis in graue animarum ſuarum damnum diſponere volunt, interdicimus omnibus ius eligendi, aut præſentandi habentibus ad Eccleſiaſticas capellas, vel beneficia quæcũque, ne cum electis, & à ſe preſentatis quoquomodo paciſcantur, neuè ad hunc effectum ſibi quicquam promitti faciant, neuè ſibi aliquam fructuum portionem reſeruent, fidemuè, aut promiſſiónem accipiant, ſibi mutuandi, locandiq. domus, prædia, aut alia bona earum Eccleſiarum, & beneficiorum, ad quę ipſi præſentauerint. Eos qui aliquo ſupradictorũ, aliouè etiam modo Simoniacè ſe eligi, aut præſentari permiſerint, beneficijs tali modo acquiſitis priuatos eſſee nunciamus: Patronos verò iure præſentandi priuatos eſſe, & collatio, atque prouiſio Eccleſiarum, capellarum, beneficiorum Capellarum, beneficiorum ad Epiſcopum deuoluta eſſe intelligatur, iuxta ſacrorum Canonũ, & Sum. Pontificũ diſpoſitiones.

C A P. II.

AD ordines promouẽdi caueant, ne Examinato

minatoribus, ad id deputatis genus vllum mu
neris; occaſione huius examinis; aut rem ali-
quam mittant, neuè dent, ſub pœna vnius men
ſis carceris.

De Vſuris & illicitis contractibus.

C A P. I.

SAluti animarum ex debito paſtoralis offi-
cij proſpicere cupiẽtes, remediumq́. adhi-
bere conſcientijs nonnullorum, qui nimium
lucri cupidi, parui æſtimant, ſi illicitis, atque
vſurarijs contractibus pauperes opprimant,
illos excommunicatos declaramus, qui emen-
do, vendendo, mutuando, aut quouis alio con
tractu, aut modo, peccatum vſuræ committũt.
Ac vt nemo ignorantia excuſari valeat, ſubij-
cienda duximus aliqua contractuum, aut pa-
ctorum illicitorum genera, quæ his in regioni
bus fieri conſueuerunt, vt cognita ab omnibus
euitentur. Sciant cuncti, nemini licere ratio-
ne mutui rem aliquam cuiuſcunque generis,
vltra ſortem accipere. Scriptum eſt enim; mu-
tuum date, nihil inde ſperantes.

Siquis pecuniam alicui dederit, vt ab eo
oleum, vinum, triticum, aut cuiuſcunque gene
ris aliud emat, mercedem aliquam accipere;
aut aliquid de pretio demere non poterit,

pro-

propterea quòd venditor aliquot menſibus il lius pecunia potitus ſit. Neque Bulla Nicolai Summi Pontificis eum decipiat. Ea enim non permittitur decem pro centenario accipere, niſi in contractibus cenſualibus, in quibus adſit realis emptio, & venditio, & aliàs iuxta formam eiuſdem Bullę.

Preterea nemini licet, rem carius vendere, quã præſenti pecunia valeret, quia de pretio fides habita ſit, & ad ſoluẽdũ dilatio data fuerit.

Rurſus quiſquam alicui rem ſuam vendere tuta conſcientia non poterit, eo animo, vt ab eo poſtea ipſemet minori pretio re tmat, quã ipſe vendsderat.

Porrò qui triticum, oleum, vinũ, hordeum, vel genus aliud huiuſmodi, vitioſum aut corruptum alicui mutuauerit, vt tempore nouæ meſſis vel vindemiæ vini, vel olei, ſana illa, incorruptauè recipiat, vſuram committit.

Poſthac ſi in ſocietate animalium conuentum eſt, vt mors non ad dominum ſpectet, ſed ad eum, qui animalia recepit, contractus erit illicitus, & vſurarius, præterquam ſi animalia perirent negligentia, aut culpa illius, qui eorum cuſtodiam, & curam tenetur præſtare.

Poſtremo cum boues, aut alia animalia locantur, ſi deterioratio animalium abſque culpa illius qui recepit, prouenieus, ſoli domino cedit, licitus erit contractus.

De

De Concubinarijs. C A P. I.

CLerici meminiſſe debent, ſibi ex debito ſui ſtatus, atque dignitatis, conuenire, vt ad perfectam ſibi caſtitatem comparandam, viribus incumbant, occaſionem omnem tollere conantes, quæ poſſit eos à ſuſcepto propoſito, atque conſilio auertere, atque remorari. Quapropter vitanda eis erit omnis ſuſpectarum mulierum conuerſatio, quas omnino prohibemus non modo domi ſecum habitando, ne retineant, ſed vt ne ad veſtem quidem lauandam, aut cibum coquendum, aut panem conficiendum, neuè præterea ad vllum alium quēcunq; domeſticum famulatum adhibeāt. Qui aduerſus hanc conſtitutionem fecerit, centum libris cerę mulctetur.

C A P. II.

PRæterea monemus omnes noſtræ Diœceſis Clericos cuiuſcunque ordinis, gradus, & dignitatis, ſiue beneficiatus, ſiue non, vt neque domi, neque extra, concubinas, aut ſuſpectas mulieres, vel eas, à quibus ſcandalum fidelibus oriri poſſit, detinere audeant, neuè cum eis quouis modo, atque prætextu commertium habeant. Alias contra eos ſeueriſſime

me procedetur, iuxta Sacrorum Canonum, & Tridentini Concilij ſtatuta.

C A P. III.

LAicos item animaduerſos volumus, vt intra quindecim dies pro tribus Canonicis monitionibus, ſi ſe à tam graui ſcelere nõ correxerint, & concubinas non expulerint, ſeque ab eis non ſeiunxerint, ſed in concubinatus ſordibus pertinaciter manere voluerint, ſciãt ſe excommunicatione feriendos eſſe, à qua, niſi à nobis abſolui nequeant. Huiuſmodi autem homines Parochis omnibus præcipimus, vt dum miſſæ, aut alia diuina officia celebrantur, in Eccleſia eſſe non permittant, ſed ab ea tamquam excommunicatos arceant.

C A P. IIII.

QVoniam verò Clerici in ſortem Domini vocati, non ſolum à ſe impudicitiæ cauſſam, & occaſionem remouere debent, ſed etiam curare, ne aliorum impudicitiæ cauſſa, & fautores eſſe videantur, præcipimus ſub pœna ducatorum vigintiquinque, ne ſuas ædes, etiam patrimoniales, aut quocunq; titulo eas habeant, meretricibus, & mulieribus infamibus locent, neuè in eis habitare permittant.

Finis primæ partis.

CONSTITVTIONVM HOSTVNEENSIS SYNODI

Secunda pars.

De ijs, quæ pertinent ad Sacramentorum adminiſtrationem.

De Sacramentis in genere. C A P. I.

QVONIAM verò Sacramenta inter cætera Chriſtianæ Religionis myſteria principem locum obtinent, quibus quidem Dominus noſter Ieſus Chriſtus Eccleſiã ſuam colligauit, per quæ ei, veluti per vaſa quædam, miſericordiam infundit, atque è theſauris quibuſdam affluentibus ſanctificationem, & gratiam confert, Sacerdotes admonendos eſſe duximus, cum ipſi à Domino eorum diſpenſatores conſtituti ſint, omni ea tum animi, tum corporis etiam veneratione, ac pietate percipienda eſſe, atque tractanda. Si enim in ijs adminiſtrandis, Chriſto Domino ſe miniſtros præbent, humilitatem profectò, ac modeſtiam præſeferre conuenit. Quis enim neſciat, quàm longè ab humilitate Sacerdotis

irreuerētia Sacramentorū abſit? Sacerdotes itaque, ſi peccati mortalis conſcientia premātur, antequam ad cuiuslibet Sacramenti adminiſtrationem accedant, Sacramentali confeſſione ſe mundare ſtudeant. Non enim fas eſt malis, B. Dionyſius ait, Symbola tangere. Si verò vrgente neceſſitate id facere nequiuerint, miniſterio abſoluto, req. perfecta, vt debitus honor Sacramento præferatur, ſtatim peccata lethalia per confeſſionem abſtergant.

CAP. II.

E Multis illud vnum potiſſimum eſt, vnde Sacramentorum vſus, hac noſtra tempeſtate tam grauiter à pleriſque negligatur, illorum videlicet efficaciæ, atque vtilitatis ignoratio. Quamobrem Parochi plebes ſibi commiſſas frequenter doceant, quantum animarum ſaluti Sacramenta conferant, præſertim Euchariſtia, & Pœnitentia, eorum omnium effectus, & vtilitates exponant, & quid in cuiuslibet ipſorum viſibili exhibitione inuiſibiliter agatur, cum aliud quidem ſenſibus ingerant, aliud autem efficiant. Quod ab eis fiat iuxta eum ſenſum, qui Cathechiſmo ex Decreto Concilij Tridentini edito, præſcribitur, vt cognita abundanti gratia, quę ab eis inanis

mos hominum influit, ad illorum vſum, & frequentiam incitentur.

C A P. III.

CAueant Sacerdotes, quibus Sacramentorum adminiſtratio incumbit, ne abſque ſuperpellicio, & ſtola Sacramenta quæcunq; adminiſtrent, neuè ad illa cæremonias, aut ritus alios adhibeant, quàm quibus Eccleſia Romana vtitur, ad quam omnino ſe conformari præcipimus, vt ex illa externa deuota exhibitione fideles maiorem pietatem, & venerationem erga Sacramenta concipiant.

C A P. IIII.

APoſtolus abſtineri præcipit non quidem à malo ſolum, ſed etiam ab omni ſpecie mali. Itaque à miniſtris Dei in Sacramentorum adminiſtratione, manus puræ, ac mundæ ſeruentur; in domo Domini, omnia purè, ſincerè, ſine labe, labiſuè ſuſpitione fiant, nullauè quæſtus gratia; aut pecunia. Vt igitur non auaritia modo, quę eſt idolorum ſeruitus, ſed omnis etiam turpis ſuſpitio ab Eccleſia Dei eliminetur, omneq. ſcandalum à fidelium mentibus tollatur, ſub pœna ſuſpenſionis, & alijs noſtro arbitrio reſeruatis, mandamus, ne quiſquam

quam pro adminiſtratione Sacramentorum cuiuslibet generis mercedem petat, neuè exigat, cum dictum ſit gratis accepiſtis, gratis date: ſalua tamen antiqua, & laudabili conſuetudine eorum locorum, in quibus pro adminiſtratione Sacramentorum, vel celebratione diuinorum officiorum aliquid Eccleſiæ miniſtris dari conſueuit.

De Baptiſmo. CAP. I.

BAptiſmus Sacramētum eſt vnus omnium ordine princeps, virtute antecellens, & neceſſitate inſignis, & tamquam cæterorum ianua, & noſtræ iuſtificationis exterius, & viſibile principium. Eius munere nos veterem hominem exuentes, & nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti, effecti ſumus hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, vt Sacra Tridentina Synodus atteſtatur, ita vt nihil prorſus nos ab ingreſſu cœli remoretur. Qui quanta eſt pietate, & reuerentia exhibendus, & ſuſcipiendus, tanta itidem munditia, & diligentia eius Sacroſancta aqua, vnde conficitur, eſt conſeruanda. Quare Parochi, & cæteri omnes, quorum intereſt illum adminiſtrare, in ſuis Eccleſijs fontem habeant marmoreum, eleganti artificio

confectum, in quo ſit æneum, aut ſtamneum vas, vbi baptiſmalis aqua toto anno munda, & nitida ſeruetur, & operculum, ex aliqua lignea materia eleganter pictum, & ornatum, quod in pyramidatam formam, aut acuminatam deſinat, & claui occludatur. Intra quod aptetur loculus, vbi vaſcula Sacrorum oleorum collocentur. Operculum verò aptè cohæreat, intus ita conueſtitum atque ſeptum, vt puluis in fontem nequeat penetrare, ac propterea intus lineo aut ſerico panno, exterius verò tegumẽto ex coreo muniri poterit. Aqua baptiſmalis quotannis renouetur, ex vetere Eccleſiæ inſtituto, ſabbato Reſurrectionis Domini & Pentecoſtes, ſolemni ritu ad hibito & forma ſeruata, quæ in Miſſali Romano præſcribitur, & ea, qua decet reuerentia conſeruetur.

C A P. II.

PArochi ſaltem ſemel in hebdomada fontem diligenter inſpiciant, an puluis, araneæ, vermiculi, aut aliquid aliud immundum in aquã deciderit, eamq. purgent; &, an aqua ex aliqua parte fontis elabatur, videant. Adſit præterea patera, ſeu vaſculum vitreum cum anſa, adfundendam aquam ſuper caput baptizandi. Prope fontem baptiſmatis locus, ſiue ſacrarium

rium ſit, in quod aqua, cum aut renouanda erit, aut fons ipſe lauetur, infundatur.

CAP. III.

ET quia Sacramentum Baptiſmatis adeo neceſſarium eſt ad ſalutem, vt niſi quis renatus ſit ex aqua, & Spiritu ſancto, omnino eius ſalus deſperanda ſit, poteſtatem eius exhibendi Dominus noſter ita latè patere voluit, vt, etſi ſolus Sacerdos eius proprius eſt, & peculiaris miniſter, tamen ſi iminens neceſſitas, & periculum vitæ vrgeat, à quibuſcunque etiam laicis, & fœminis, modo Eccleſiæ forma adhibeatur, rectè conferri poſſit. Quamobrem Parochis mandamus, vt populum, præſertim obſtetrices rectam Baptiſmi formam diligenter doceant, vt, ſiquis in aliquo periculo poſitus, ab eis, quemadmodum frequenter euenit, baptizandus erit, recta verborum forma, à Chriſto Dominò tradita, & ab Eccleſia recepta, vtantur, quæ eſt hæc; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

CAP. IIII.

ADmoneant præterea Parochi, fœminam præſente viro, laicum autem præſente Clerico, Clericum verò præſente eo, qui ordi

ne ſuperior ſit, nequaquam baptizare poſſe. Ac etiam ſi rectè Sacramentum conficere velint,non quamlibet corporis partem, ſed potiſſimum caput, in quo omnes tum interni, tum externi ſenſus vigent,abluendum;nec ante aut poſt ablutionem, vel aquæ effuſionem, ſed ſimul vno,eodemq́ue temdore,abluendo, vel effundendo ab eo,qui baptizat,Sacramenti formam eſſe proferendam; aliter enim Sacramentum non conferret.

C A P. V.

OPtimam rationem ſequentes, à ſanctis Patribus olim inſtitutam,ſub excommunicationis pœna præcipimus, vt ne in domibus,locisq́. priuatis,neuè alibi, quam in Eccleſia,neuè ab alio,quàm à Sacerdote,cui ex officio incumbit,niſi is alij licentiam conceſſerit; vel aliter,pro vrgente neceſſitate, faciendum erit, baptiſmus alicui conferatur. Monemus autem parentes, & in Domino:vehementer hortamur, vt filios ſuos, quàm primum poterunt, idq́. omnino intra dies octo, poſtquam infans natus fuerit, ad Eccleſiam deferentes, ſalutari lauacro baptiſmatis initiandos curẽt, & quos ſecundum carnem mundo pepererũt, eos per ſpiritualem baptiſmi regenerationem ocyus Deo nouam creaturam pariant,& Diabolo,

bolo, eiuſque inſidijs eripientes, Spiritui ſancto, eiusq. fidiſſimo tutamini ſubijciant.

C A P. V I.

QVùm primum infans ad Eccleſiam delatus fuerit, Parochus antequam ad baptiſmi collationem accedat, diligenter obſtetrices, vel ſi quis alius eum duxerit, interroget, an domi puer baptizatus fuerit; & ſi dubitet, an is, qui baptizauit, rectè verborum formam adhibuerit, tunc in baptiſmo cõferendo, his vtatur verbis; Si baptizatus es, ego non te rebaptizo; ſi verò baptizatus non es, ego te baptizo in Nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti. Amen. Si autem rectè pronunciatam eſſe formam compererit, caueat, ne baptiſma rurſus conferat; ſed cæremonias dumtaxat, & ritus alios Eccleſiaſticos, ſacra olea, & orationes adhibeat.

C A P. V I I.

VIdeant Parochi, ne ijs, quos baptizant, aliud, quàm alicuius Sancti nomen imponant, vt recordatione nominis, ad eius virtutes, & Chriſtiana opera exercendas, imitandásq. excitentur, cuius nomine aſſiduè ſe vocari audient, & quem nomine referunt, virtu-

te etiam imitentur. Qui ſecus fecerint, arbitrio noſtro punientur. Non enim conuenit, vt qui in baptiſmo Dominum ac Redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum induerunt, ſeq. illius religionem, & rationem vitæ re ipſa ſecuturos ſpoponderunt, ethnicorum deinde & infidelium nominibus longè alienos ab ea, ſe oſtendant.

CAP. VIII.

PArentes, cùm ſuſcipiendi baptiſmi gratia pueros ad Eccleſiam mittunt, ſtudeant illos quidem non gemmis redimitos, non coralijs, aut aureis, argenteſuè ſertis, cingulis, catenis, aut id genus alijs circundatos, neuè precioſis veſtibus, aut magnifica pompa, & ſuperbo quodam faſtu adornatos mittere, ſed ſimplici dumtaxat, & modeſta veſte indutos, qualem decet eos, qui ad renunciandum Sathanæ & pompis eius, ſolemni quadam profeſſione mittuntur.

CAP. IX.

AD ſuſcipiendum aliquem è ſacro fonte præcipimus, ne admittantur ij, qui eo anno, ſtatuto ab Eccleſia tempore peccata ſua confeſſi non fuerint, & ſacram Euchariſtiam

non

non ſumpſerint, quiuè excommunicati, ſuſpēſi aut interdicti exiſtunt, item nec infames quicunque & publicè criminoſi, nec paſſim qui rectè Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum recitare ignorant. Clerici quoque, & cæteri religioſi omnino abſque noſtra licentia, vel Vicarij noſtri, ne adhibeantur. Qui ſecus fecerit à nobis punietur.

CAP. X.

SAcerdos baptizaturus ad ſuſcipiendum de ſacro fonte baptizandum non admittat niſi vnum, ſiue vir, ſiue mulier exiſtat, vel ad ſummum, vnum & vnam, quemadmodum à Sacris Canonibus, & nuper à ſacro Tridentino Concilio inſtitutum eſt. Ac deinceps doceat diligenter eos, qui baptizatum de baptiſmo ſuſceperũt, quod inter tenentem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, necnon inter baptizãtem & baptizatum, & illius parentes, ſpiritualis cognatio contracta ſit, quæ matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum; & vt intelligant Chriſto per baptiſmum filios ſpiritualiter generari, teneriq. ſe pro ſuo ſuſceptionis officio, eos catholica fide, & probatis moribus inſtituere, ſi parentes facere id omiſerint.

C A P. XI.

PArochi librum habeant, in quo baptizatorum nomina, & cognomina, ac eorũ compatrum, & parentum deſcribant: item an ex legitimo matrimonio, quo die, quouè quiſque menſe, & anno natus, & baptizatus fuerit, ſeruata forma infra poſita, in titulo de Parochis. Quem librum in Sacriſtia diligenter cuſtodiant. Si quis hoc facere prætermiſerit, arbitrio noſtro punietur.

C A P. XII.

ADmoneant Parochi puerperas non eſſe obnoxias dies à lege Moyſis ſtatutos obſeruare, vt quadraginta diebus, vel longioris, aut breuioris temporis ſpatio ſibi ab Eccleſiæ ingreſſu abſtinendum ducant. Lex enim illa euanuit, & illuxit veritas Euangelij. Quare hortentur Parochi eas, vt quum primum poſt partum domo exierint, mox ad Eccleſiam Deo gratias acturæ, & benedictionem à proprio Parocho ſuſcepturæ accedant. Quam benedictionem ab alio, quàm à proprio Parocho dari non poſſe ſtatuimus. Quapropter mandamus omnibus Clericis tam ſecularibus, quàm regularibus, vt nullo modo puerperis hanc benedictio-

nedictionem audeant impartiri, ſed illas omnino pro ea ſuſcipienda ad proprium Parochum remittant. Qui ſecus fecerit, ſi ſacerdos ſecularis fuerit, pœnam librarum ceræ centum incurrat, ſi verò regularis, interdicto ſubiaceat.

De Sacramento Confirmationis.

C A P. I.

EPiſcopus, quùm Sacramentum Confirmationis adminiſtrandum duxerit, Parochus per dies aliquot antea populo inter Miſſarum ſolemnia publicè proponat ſtatutum ab Epiſcopo diem, quo ad Eccleſiam pueros ducant confirmandos, fideleſq. admoneat, vt ſiquis adulta ætate hoc Sacramento confirmari velit, & huius Sacramenti virtutem, & gratiam percipiat, eum non fide ſolum, & pietate optimè inſtructum, & paratum ad illud accedere, verum etiam peccata prius confiteri, & ex animo delere oportere; idq. eò libentius ſibi faciendum erit, quòd nemini certum eſſe poteſt, an veram peccatorum contritionem habeat. Namque mortale crimen admittit, qui temerè peccati mortalis ſcelere fædatus Sacramentum ſumit.

CAP. II.

Atque in hoc Sacramento, quoniam plenè, ac profectè gratia continetur, ac inde Confirmationis nomen deductum eſt, quia quod in nobis Deus baptiſmate operari cœpit, huius deinde Sacramenti virtute confirmat, nec verò confirmat ſolum, ſed auget etiã, & noſtram temeritatem adhuc, & imbecillitatem, aduerſus omnes carnis, mundi, & Diaboli impetus, robuſtiorem facit: curandum eſt cuilibet, vt tum ipſe, tum ſui liberi, & quos ſub eorum cura habent, hanc plenitudinem gratiæ, & Diuinæ largitatis dona huius admirabilis Sacramenti vnctione conſequantur, quò virtute induti ex alto, poſſint cum hoſtibus fidei, & Religionis Chriſtianæ fortiter dimicare.

CAP. III.

Licet in hoc Sacramento Chriſmatis non ea ſit neceſſitas, vt ſine eo ſalui eſſe non poſſimus, tamen cauere quiſque maximè debet, ne in eum impietatis gradum perueniat, vt illud contemnat, & aſpernetur. Quamobrem Parochi cura in eo verſari debet, vt fideles intelligant hanc ſacram vnctionem ſum

mo

mo ſtudio expetendam eſſe, nec poſſe illam ſine mortali peccato prætermittere, niſi id affectata quadam negligentia omiſerint.

C A P. IIII.

ETſi omnes poſt Baptiſmum hoc Sacramẽto rectè confirmari queant, rationibus tamen nonnullis minus expedire viſum eſt id fieri, antequam pueri ad vſum rationis perueniant, & pietatis ſtudiũ aliquod, & venerationis pręſe ferre poſſint. Studeãt igitur qui pueros confirmandos offerre volunt, eos prius inſtruere in aliquo pietatis exercitio, vt ſaltem orationem dominicam & Salutationem Angelicam ſciant.

C A P. V.

AD ſuſcipiendum Confirmandum præcipimus obſeruari decretum ſacri Tridentini Concilij de Patrinis, ſiue Compatribus in Baptiſmo adhibendis, ne plures, quàm vnus, ſiue vir, ſiue mulier, aut ad ſummum vnus, & vna confirmatum ſuſcipiant, nè cognatio ſpiritualis inter plures contrahatur. Simulque Parochi eos doceant, cognationem ex Confirmatione contractam, eſſe inter tenentem & confirmatum, ac illius patrem & matrem, quę

ſicut

ſicut in Baptiſmo, matrimonium impedit contrahendum, & dirimit iam contractum, ne ignorantia vlla excuſari valeant.

C A P. VI.

PArochi librum conficiant peculiarem, & proprium, diuiſum omnino, ac ſeparatum ab eo, qui baptizatos continet, in quo nomina, & cognomina confirmatorum, & tenentium perſcribant, quo quiſque die, menſe, & anno ſacro Chriſmate confirmatus fuerit. Is quoque liber cum eo, qui baptizatos inſcriptos habet, in Sacriſtia diligenter ſeruetur.

De Sacramento Euchariſtiæ.

C A P. I.

SAcramenta legis Euangelicæ, etſi omnia ſunt à Chriſto Domino Saluatore noſtro tamquam efficaciſſima medicamina aduerſus animæ morbos parata, atque inſtituta: Sacramentum tamen Euchariſtiæ reliqua omnia nobilitate, & dignitate antecellit. Maieſtatis enim, ac Diuinitatis quidem plena res eſt, ſiquidem non modo gratiam, ſed illum ipſum etiam gratiæ ipſius auctorem continet, nempè Ieſu Chriſti precioſiſſimum ſanguinem, & cor

pus,

pus,in quo,vt Apoſtolus atteſtatur, inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter/Cui quidem vt ſummus, atque ampliſſimus ille gradus honoris, & gloriæ præſtetur, quibus immenſa illa,atque ſempiterna maieſtas decoranda eſt,præcipimus,vt in alio vaſe, quam in pixide aurea, vel ſaltem argentea aurata non aſſeruetur,& vt ante illud diu,noctuq. lampas oleo puriſſimo aſſidue colluceat. Sacriſta verò, ſi eius culpa ſecus factum fuerit, pœna viginti librarum ceræ punietur.

CAP. II.

CVrent Parochi, vt ſingulis octo diebus particulas renouent, idque potius Feria quinta facere conuenit, cum eo die huius Sacramenti inſtitutio à Chriſto Domino facta fuerit.Præterea tot particulas conſeruatas habere conentur,quæ infirmorum neceſſitati, & eorum pietati,qui ad communionem acceſſerint,ſufficere poſſe videbuntur. Claues Tabernaculi, intra quod ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum conſeruatur,& eius quoque loci, vbi ſacra olea occluduntur, apud ſe cuſtodiant,nec alicui credant, niſi in ſacris maioribus ordinibus ſit conſtitutus.

C A P. III.

SI quis alteri, quàm proprio Parocho pecca ta ſua confeſſus fuerit, non aliter ad communionem admittatur, quàm ſi Parocho eius rei ſcripto fidem fecerit. Rurſus qui ſacram Communionem extra Parochiam ſumpſerit, niſi fidem ea de re ſcripto oſtenderit, aduerſus eum animaduertetur, ac ſi præcepto Eccleſiæ non obtemperauerit. Ac ne populus vlla ignorantia excuſari valeat, Parochi inter Miſſarum ſolemnia Dominica Palmarum fideles admonebunt, omnes neceſſitate adſtrictos eſſe, & ex præcepto Eccleſiæ teneri, ſemel in anno, idq. in Paſchate, hoc eſt, ab ipſa Dominica Palmarum, vſque ad octauum diem Reſurrectionis Domini, iuxta conſtitutionem Eugenij, in propria Parochia Sacramentum Eucha riſtiæ ſuſcipere. Parochus autem eorum nomina notabit, qui intra ſupradictos dies ſacram communionem non ſuſceperint, eosq. intra dies octo poſt octauam Paſchatis Epiſcopo annunciabit, cauſamq. etiam ſignificabit, quare non communicauerint, ſi ea extra confeſſio nem cognouerint.

C A P. IIII.

COnfeſſores diligenter inſtruant eos, qui rarò peccata confitentur, quanta animi pietate, & veneratione, quantaq. contritione ad hoc ſanctiſſimum, & omnium reuerentia maximè dignum Sacramentum accedere debent, in eorum memoriam, & cognitionem adducentes formidabile illud Apoſtoli dicentis; Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. Itaq. ſibi animarum paſtores accuratius faciendum ducant cum ijs, quos eo ipſo die Sabbati ſancti, vel etiam Dominicæ Reſurrectionis confiteri velle cognouerint, præſertim ſi nondum eo anno confeſſi fuerint, quibus auctores erũt, vt per triũ, aut etiam quatuor dierum interuallum à Communione abſtineant, intra quos aliqua pietatis, & pœnitentiæ opera exerceant, quibus ad tantum munus percipiendum inſtructiores, & magis parati accedant.

De deferenda Euchariſtia ad infirmos.

C A P. I.

NOn ſine aliquo magno, ac intimo myſterio veteres illi S. Patres, ex varia, diuerſa nomi-

nominum multitudine, quibus huius admirabilis Sacramenti vim, & efficientiam expreſſius demonſtrare niterentur, illud etiam huic diuinæ rei nomen viaticum fecerunt. In hac enim lacrymarum valle, & æruminoſa peregrinatione conſtituti, qui à Domino peregrinamur, & ad eum ire pergimus, hoc ſuauiſſimo cibo, à cœlo nobis allato, ſpiritualiter ſuſtentamur, atque nobis ipſis faciliorem viam munimus. Hinc fit, vt ex veteri Eccleſiæ catholicæ inſtituto obſeruetur, vt nemo fidelium ex hac vita diſcedat, quin hoc Sacraméto prius, quaſi firmiſſimo quodam animæ cibo reficiatur, vt cœleſti gratia munitus, Dæmonibus fortiter obſiſtat. Vt igitur nemo huius Sacramenti auxilio deſtituatur, Parochus ſtatim ac ſciuerit aliquem grauiter ægrotare; ſollicitus ſit ne abſque ſacra Communione decedat. Si illius negligentia ſecus factum fuerit, pœna librarum centum ceræ mulctetur.

C A P. II.

ET quia ciuitas diuiſa nõ eſt in Parochias, eiusq. rei gratia omnes pro ſuſcipiendis Sacramentis ad Cathedralem Eccleſiam confluunt, vnusq. eſt parochus, qui Sacramenta omnibus exhibet, mandamus, vt eum ad infirmos Euchariſtię deferendę vſus euenerit, nullatenus

latenus

latenus ab alia, quàm ab ipſa cathedrali Eccleſia efferatur.

CAP. III.

PArochus per ſe ipſum Euchariſtiam deferat ægroto. Quod ſi legitime fuerit impeditus, per alium Sacerdotem idoneum id exequi curabit.

CAP. IIII.

FRequenter Parochi populum adhortentur, vt eum ad ægrotos Euchariſtiam afferri contigerit, aliquo ſigno campanæ dato, vt iam hactenus fieri conſuetum eſt, omnes ad Eccleſiam libenter concurrant, & honoris cauſſa in eundo, & redeundo Sacramentum comitentur. Quod ſæpius maximè inculcabũt ſodalibus ſocietatis ſanctiſſimi Corporis Chriſti. Illud autem campanæ ſignum, ſi tempus adſit, vt quamplurimi adeſſe poſſint, qui Sacramentum proſequantur, ſemper dari conentur, aliquo temporis ſpatio ante quàm ab Eccleſia Sacramentum efferatur.

CAP. V.

SAcerdos verò adhibito baldachino, alba,

pluuiali, vel ſi neceſſitas vrgeat, ſaltim ſuperpelliceo, & ſtola indutus, campanula præeunte, luminibus vel candelis accenſis, quanto plura haberi poterunt circum latus, pyxidem cum Euchariſtia, maxima cum veneratione, & grauitate ambabus manibus ſuſtinens Pſalmos, & Hymnos in honorem ſacroſanctæ Euchariſtiæ, aut pro ægroti animæ ſalute recitet. In ipſa autem pyxide ſemper deferat ſaltim duas particulas, nè deinde, communicato infirmo, cogatur cum vaſculo vacuo ad Eccleſiam redire.

CAP. VI.

ETſi nihil impediméto eſt, quo minus ægrotis etiam non ieiunis viaticum dari poſſit, tamen pro maiori erga Sacramentum reuerentia, id nè fiat, abſque imminente neceſſitate, & periculo vitæ.

CAP. VII.

VT maiori cum veneratione, & animi feruore Chriſti fideles hoc ſanctiſſimum Sacramentum, cum ad infirmos deferendum erit, proſequantur; vnicuiq; Communionem comitanti concedimus quadraginta dierum indulgentias, præcipimusq. Parochis, vt ad

Eccle-

Eccleſiam reuerſi, ante altare maius ſtantes, facta confeſſione, & abſolutione generali, hanc à nobis conceſſam indulgentiam annuncient, præter eas, quæ à ſummis Pontificibus conceſſæ ſunt ijs, qui hanc pietatis, & religionis operam executi fuerint.

CAP. VIII.

MVlieres, quæ pariturae ſunt, à Parocho admoneantur, vt partu appropinquante, ad pericula, quæ ſubituræ erunt, quæque tunc huiuſmodi mulieribus grauia inſtant, præmiſſa peccatorum confeſſione, ſalutari huius Sacramenti ſumptione ſe muniant.

De celebratione Miſſarum. CAP. I.

SAcerdotes, qui ex hominibus aſſumpti, pro hominibus conſtituuntur, in his, quæ ſunt ad Deum, vt ipſi offerant dona, & ſacrificia pro peccatis, pietatem & religionem diligentiſſimè, vniceq. ſectentur. Quibus quidē, ac etiam reliquis alijs virtutibus ut ornati ſint cæteroſq. antecellant, eorum præcipua cura ſit, vt Miſſæ ſacrificium dignè pro ſua, populique ſalute altiſſimo offerant. Præcipimus, ut ſaltem ſingulis feſtiuitatibus ſolemnibus beatorum Apoſtolorum ac Dominicis diebus ce-

lebrent,uel nobis cauſſam ſignificent, quare à tam ſingulari myſterio abſtinuerint:Curati uerò infra hebdomadam pluries ſtudeant celebrare.Qui uerò uel infirmitate uel aliquo alio Canonico impedimento celebrare impediuntur,ſingulis Dominicis communicent;uel quare id non fecerint, cauſſam nobis ſignificent. Qui autem in Diaconatus, & Subdiaconatus, cæteriſque inferioribus ordinibus conſtituti ſunt, præter ſolemnes dies, ſingulis quoque tertijs Dominicis in conuentuali Miſſa communicent. Qui Epiſtolam,& Euangelium canunt,et qui in Altari inſeruiunt,ſingulis feſtis, ac Dominicis diebus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum deuotè ſuſcipiant. Qui ſecus fecerint,arbitrio noſtro punientur.

CAP. II.

CVm hoc Sacramentum ſit vita bonis, mors autem malis,ſicut iuſtis hominibus gratiam confert, atque auget,ita reos obſtinatiores efficit in peccatis.Sacerdos itaque,ante quam ad celebrandum accedat,adhibita diligentia,ſuam conſcientiam examinet,& ſi peccati mortalis ſibi conſcius ſit,vel de eo probabiliter dubitat, ſine preuia Sacramentali confeſſione nullo modo Miſſam celebrare audeat quantumuis contritus ſibi eſſe videatur,modo

ei non deſit copia confeſſoris. Quod ſi ob neceſſitatem vrgentem ſine confeſſione præmiſſa celebrauerit; ſtatim quamprimum curabit confiteri, iuxta præſcriptum ſacri Tridentini Concilij.

C A P. III.

ETſi Apoſtolus dicit, qui altari ſeruit, de altari viuere debet, Sacerdotes tamen caueredebent, ne dum ad celebrandum accedũt, mercedem, aut lucrum ſpectent, quod quãuis recipi pro vitæ ſuſtentatione dumtaxat liceat, illud tamen ſpectare vti finem, nequaquam ſine graui peccato fieri poteſt.

C A P. IIII.

PLerique ita raptim & confusè ad ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium accedunt, vt dum imparati nulla meditatione adhibita, non lectis neq; notatis ijs, quæ ſibi legenda pronunciandaue erunt, ad altare properant, ſcandalum inter legendum audientibus afferant, & magnam irreuerentiam excitent. Quamobrẽ huic malo opem aliquam afferre cupientes, præcipimus, vt Sacerdotes, antequam ad celebrandum veniant, omnia prius inueniant, ſignis notent, ac præparent, priuatim ea perle-

gant, correctè, atque diſtinctè pronunciare diſcant, nè poſtea inter celebrandum titubẽt, & quærendo hæſitent, & demum auditoribus ſcandalum pariant. Cuius rei gratia in Sacriſtia cuiuslibet Eccleſię huius Diœceſis teneatur ſemper ordinarium miſſæ iuxta ritum Romanũ, in quo pręuideat vnuſquiſq; celebraturus Miſſam eo die occurrentem. Porrò lotis manibus in lauacro, ad eam rem in Sacriſtia parato, quod præſenti decreto ſancitur, dũm Sacerdotalia induunt paramenta, ad vnumquodque ſingulas orationes in Miſſali ad eam rem præſcriptas deuotè recitent.

C A P. V.

SAcerdotes ſacris veſtibus pro Miſſa celebranda induti, cum nemine fabulentur, neuè deambulent, conuentus ſeu conuenticula, circulosuè nè faciant, neuè rixẽtur, aut profanum aliquod tractent. Eos verò hortamur, vt antequam ad ipſam celebrandam accedãt, orationem aliquam ex ijs, quæ ad hanc rem in miſſali præſcriptæ ſint, deuotè dicant, & peracta miſſa, Deo gratias agant pro ſummi beneficij munere. Dum Miſſam celebrabunt, detecto ſint capite, & ſubbiretis nè vtantur, neque biretum, aut alia id genus vllo modo in altari ponant, neque inde aliquod amoueri

ri, neque candelas extingui permittant, niſi Euãgelio abſoluto, quod poſt miſſam legitur.

C A P. VI.

VT Eccleſia Miſſarum numerus ad populi commoditatem vſque ad horam nonam duret, Sacriſta nullo modo permittat è Sacriſtia plures ſimul ad celebrandum exire, ſed ordinatim vnum, vel ad ſummum duos, quorum vterque, ſi in eadem templi ala neceſſario celebrandum erit, nè celebrent in altaribus ita vicinis, vt mutuo inter legendum alter alteri, vel audientibus ipſis impedimento, aut moleſtiæ eſſe poſſit. Quibus interea celebrantibus, niſi re diuina per eos abſoluta, vel ſaltim Sacramento eleuato, Sacriſta alios exire nullo modo permittat. Si autem vel Miſſæ generales celebrabuntur, vel defunctus aliquis tumulandus erit, vel ſolemnes dies erũt, quando frequens, & magnus Miſſarum numerus eſſe ſolet, tunc vſque ad quatuor Sacerdotes ſimul celebrare permittimus, niſi aliter Sacriſtæ viſum fuerit, vt maior, aut minor numerus Sacerdotum pariter ad celebrandum admittatur, dummodo non omnes in eadem Eccleſiæ parte celebrent.

C A P. VII.

OMnes verò, qui celebraturi erunt in hac nr̃a Cathedrali Eccleſia & alijs quibuſcũ

que ciuitatis, & Diœceſis, ſtatuta ſibi hora Miſſam celebrent, vt populi commoditatibus in Miſſis audiendis conſulant. A Sacriſtia ad celebrandum nè exeant abſque licentia Sacriſtæ, & abſque campanello, & intorticio, quibus ad eleuationem Sacramenti vtantur. Miſſas celebrare nemò audeat, dum in Eccleſia prædicatur, & niſi ab aurora vſque ad horam nonam, excepta nocte Natiuitatis Domini.

CAP. VIII.

OMnes Sacerdotes curent, vt ad Miſſæ ſacrificium conficiendum, vino albo, recenti, quoad commodè fieri poteſt, vtantur, nè ſi rubrum ſit, corporalia & purificatoria deturpet. Hoſtiam, niſi integra ſit, atque ſolida, & recens, nè adhibeant. Corporalia item, & purificatoria munda illa quidem ſtudeant habere, nè maiorem curam, atque ſollicitudinẽ ad res humanas, & omnino profanas, quàm ad diuinas adhibere videantur. Quæ cum immunda erunt, à quoquam alio, quàm ab iis, qui in ſacris conſtituti ſunt, lauari non conuenit, & eius lotionis aqua in ſacrarium infundatur.

C A P. IX.

SI quæ minus recta ſunt, quæuè emendationis cuiuſquam inueniuntur indigere, vti corrigi, & palam exagitari operæ pretium eſt, ita pari quoque ratione conuenit, quæ rectè inſtituta ſunt, laude ornarè, tum etiam curare, quoad fieri poteſt, vt longius perdurent. Cum itaque laudabilis conſuetudo antiquitus pro ſtudio vniuerſitatis introducta vigeat, vt duæ Miſſæ dicantur, vna matinalis, vulgo appellata, in Eccleſia Cathedrali prima diei luce ad auroram vocant; qua eorum commoditati conſulitur, qui opus ruſticum tam intus, quàm extra ciuitatem, & in agris exercent; altera, quæ poſt Miſſam conuentualem cantatam celebratur in Eccleſia omnium ſanctorum, ædificata in publica platea, vt ad eam audiendam artifices, alijque homines, qui in foro negotiantur, commodè cõuenire poſſint, eleemoſynæque ab vniuerſitate pro illis celebrandis ſoluuntur, mandamus omnibus Sacerdotibus, vt in ea ipſa hora celebrent; nè eorum culpa, aut negligentia, tanta fidelium deuotio deferueat, qui ſtatuta hora ad eas audiendas conuenire ſolent. Præterea cupientes tam pium inſtitutum in Diœceſi quoque noſtra introduci, atque diuturnum eſſe, præcipimus omnibus

Sacerdotibus noſtræ Diœceſis, vt in poſterum vnam Miſſam in aurora in omnibus Parochialibus Eccleſijs celebrent, iuxta modum in noſtra Cathedrali hactenus obſeruatum. Qui in eo munere defecerit in qualibet vice, librarum duarum ceræ pœnam incurrat.

C A P. X.

DEcernimus, vt eo ipſo die, & in eo altari Miſſa celebretur, in quo ſtatutum eſt ab ijs, qui mercedem pro ipſius celebratione reliquerunt. Aequum namque non videtur, pias fidelium voluntates in eorũ inſtitutione violare. Cuius quidem gratia mãdamus, vt in Sacriſtia ſemper appenſa tabella teneatur, in qua numerus Miſſarum, celebraturi Sacerdotis, diei etiam, & altarium nomina ponantur. Ac nemo deinceps contra huiuſmodi tabellæ præſcriptum venire, aut celebrare audeat.

C A P. XI.

NVllus alienę Diœceſis Sacerdos, qui aliàs ignotus exiſtat in noſtra Cathedrali, & in alijs Eccleſijs huius ciuitatis abſque noſtra, vel Vicarij noſtri licentia ad celebrandum admittatur. In Eccleſijs verò noſtræ Diœceſis, abſque licentia Vicarij Foranei illius loci, vbi celebrare voluerit. Quam prædicti Vicarij mini-

minimè concedent, niſi prius literas dimiſſorias ſui Ordinarij eis oſtenderit. Sacriſta, vel alius,qui in hoc deliquerit, pœna decem ducatorum mulctetur.

CAP. XII.

ARchidiacono Cathedralis Eccleſię, ad quem ſpectat ex antiqua conſuetudine videre,vt miſſis pro mortuis quotidie ſatisfiat, quæ ex varijs defunctorum legatis, inſtitutione, vel aliqua alia deuotione, à ſingularibus perſonis per annum ſingulis diebus celebrandę erunt,mandamus,vt curam & diligentiam adhibeat,vt illæ omnino celebrentur.Quod ſi ab aliquo eo ipſo die minimè ſatisfactum fuerit,curet omnino vt ſequenti die ſatisfiat, aliter nobis, vel Vicario noſtro nunciet,vt à nobis,qui defecerit, ad ſuo muneri & defunctorum uoluntati ſatisfaciendum compellatur. Vt autem ab omnibus inſpici poſſint quæ, quotuè,& in quo altari,ſeu capella,& pro quo quibusuè diebus Miſſę celebrandæ erunt, eas in tabella deſcribat,tabellamq. in Sacriſtia appenſam conſeruet, & quę huiuſmodi officij ſunt,diligenter curet. Quod ſi in eo negligens fuerit, arbitrio noſtro puniatur.

The-

CAP. XIII.

THeſaurarius verò, vel eius nomine Sacriſta, Miſſarum, quæ conuentuales appellantur, & Diaconorum, & Subdiaconorum, qui prædictis Miſſis inſeruituri erunt, & earum miſſarum, quæ per hebdomadam capitulariter ab vnoquoque ex ordine, ex varijs teſtantium relictis, aut aliqua alia inſtitutione, vel cauſſa, pro defunctis, & viuis celebrantur, vnaquaque hebdomada diſtributionem faciat, & quolibet die ſabbati, ſicut antiquitus conſuetum eſt, ab eo fieri, tabellam in Sacriſtia apponat. Qua quidem in tabella nomina Canonicorum, & Sacerdotum, qui Miſſas, Euangelium, & Epiſtolam canere, & celebrare per totam hebdomadam debebunt, deſcripta ſint, vt quod cuique munus quotidie incumbat, notum ante perſpectumq. ſit. Ijs verò, qui fideliter, recteq. munera celebrandarum Miſſarum per totam ſeptimanam expleuerint, vt hactenus conſueuit, ſcripto fidem tradat, vt illis, qui eleemoſynam pro illis celebrandis prçſtare debent, probetur, voluntati defunctorum, & oneri miſſarum eſſe ſatisfactum. Quod ſcriptum nemini præbeat, niſi is verè, & integrè per ſeipſum, vel ſi legitimè impeditus fuerit, per alium ſatisfaciendi opus

per

per totam hebdomadam executus fuerit. Si quis autem, quo die debet, muneri ſuo defecerit, curet, vt ſequenti die per alium omnino ſatisfaciat.

C A P. XIIII.

ABuſum conualuiſſe comperimus, quo mulieres obcecatæ, dedecus admiſiſſe putant, ſi poſt obitum mariti, liberorum, aut alterius conſanguinei, & neceſſarij in Eccleſiam ad miſſas audiendas conuenerint, ac propterea quàm plurimis menſibus abſque conſcientiæ ſtimulo à diuinis officijs ſecluſæ, & forſan etiam à Ieſu Chriſto ſeiunctę perdurant. Quare hunc perniciosum abuſum funditus tollere cupientes, præcipimus huiuſmodi mulieribus, nè de cætero, ſi pro honeſtate in publicum prodire, & in Eccleſijs in frequentia, & concurſu populi apparere noluerint, huius rei prætextu diebus quibus ex Eccleſiæ præcepto tenētur Miſſas audire prętermittāt. Si quę per menſem, miſſam audire neglexerint, eo elapſo pœnam excommunicationis ipſo facto incurrant, à qua præterquàm à nobis, vel Vicario noſtro abſolui nequeant. Parentes præterea, & alios, quibus cura eſt de virginibus, & puellis, ſub obteſtatione diuini iudicij monemus, vt procurent, vt illæ ſingulis Dominicis,

&

& feſtis diebus iuxta preceptum Eccleſię, vel pluries intra annum præcipuè ſolemnibus diebus Miſſam audiant.

C A P. XV.

SAcerdotes, qui primò poſt ſuſceptionem presbyteratus, Miſſam, quæ nouella appellatur, celebraturi erunt, mandamus, ad huiuſmodi nouæ Miſſæ celebrationem non admitti, niſi prius à nobis, vel ab alio per nos deputato examinati fuerint, vtrum rectè cæremonias Miſſæ ſciant. Aliter in delinquentes à nobis grauiter animaduertetur.

C A P. XVI.

ET quia nondum iam penitus obſoleuit abuſus, nè in Miſſis nouellis commeſſationes, choreæ, & immodeſta conuiuia fiant, prohibemus, in celebratione huiuſmodi Miſſæ nouellę fieri, commeſſationes, compotationes, lauta & immoderata cõuiuia, ludos, choreas, & id genus ſimilia & alia ſuperflua, & à ſacerdotali pudore aliena adhiberi. Si ſecus factum fuerit, in delinquentes arbitrio noſtro animaduertetur.

C A P. XVII.

PArochi populum admonendum frequenter

ter curent de tremendis, atque adorandis Miſſæ myſterijs, præſertim de modo audiendi Miſſam, vt fideles cum Miſſæ ſacrificio interfuerint, detecto ſint capite, genibus ambobus flexi; niſi cum ſacrum Euangelium legitur, quod ab aſtantibus audiri debet. Vt omnes ſaltim ſingulis Dominicis, & feſtis diebus, ſi legitimè impediti non fuerint, in proprijs Parochijs audire ſtudeant, & quod Chriſtiani hominis officio minimè functos eſſe, ſi ſacrificio Miſſæ minimè intenti, (qui in multis abuſus inoleuit) vel inter ſe profana collocuntur & tractant, vel extra Eccleſiam deambulant, donec detur ad Hoſtiæ eleuationem ſignum, qua è longinquo conſpecta & ſalutata abeunt, aut ad profana colloquia redeunt. Doceant prætereа, & hortentur, nè diſcedāt, niſi expectata benedictione Sacerdotis, & ante quàm Miſſa abſoluatur. Aliter enim Eccleſiæ præcepto ab eis minimè ſatisfactum erit. Altari nō ita propè adhæreāt, vt indecorū eſſe videatur. Deniq; ita officio Miſſæ interſint, vt decenter compoſito corporis habitu, & animi religione, & pietate, non ſolum corpore adeſſe oſtendant.

CAP. XVIII.

OMnibus verò Sacerdotib. tā ciuitatis, quā Diœceſis mādamus, nè in diuina faciēda

opera

opera cuiuſcunque laici vtantur. Sed qui tam tremendo, ac omni veneratione digno Sacrificio inſeruiturus erit, ſit Clericus, veſte talari, & ſuperpelliceo indutus. Sacerdos qui in hoc deliquerit, pœna librarum ceræ quatuor mulctetur.

CAP. XIX.

OMnes Diaconi, & Subdiaconi per ſe ipſos, non autem per ſubſtitutos, excepta cauſſa legitima, nobis probanda, ſua Eccleſiaſtica munia obire, & Sacerdoti celebranti miniſterium præſtare teneantur, nec ab ijs excuſentur prætextu cuiuſcunque prærogatiuæ, etiam Canonicatus. Nam quanto quis honore cæteris præſtat, tanto alacrius, & maiori ſtudio in Eccleſiaſticis miniſterijs, & diuinis obſequijs, Deo laudes canere, & ſacrum officium peragere debet, vt alij ſuo exemplo ad ſtudium, & amorem diuini cultus inflammentur.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAP. I.

CVm Sacramenti Pœnitentiæ quanta ſit vis, quantaq. ei inſit neceſſitas, quantaq. Parochi

Parochi diligentia opus habeat, cum ex infinitis penè ſanctorum Patrum ſcriptis, tum ex Catechiſmo ſatis abundè Parochi poſsint cognoſcere, ſatis eſſe duximus hoc loco eos admonere, cum Sacerdotes medici quidem ſint ſpirituales animarum, & à Chriſto Domino miniſtri huius Sacramenti, atque fidelium animarum iudices conſtituti ſint, poteſtatemque ligandi, atque ſoluendi acceperint, ſcientiam eos habere oportet inter lepram & lepram diſcernendi, atque diiudicandi quantum mortalia peccata inter ſe differant, & à veniali quàm longe diſcedant. Quare, vt quoad fieri poteſt, eam ſcientiam aſſequantur, vtque rectè ſtatuant, mandamus omnibus Parochis, ac cæteris aliis Sacerdotibus, qui à nobis munus audiendæ confeſsionis vel iam acceperint, vel in poſterum accepturi ſunt, vel ſummam aliquam caſuum conſcientiæ habeant, eamque accuratè legant, vt rebus ad hanc rem neceſſariis inſtructi, quiſque munus ſuum fideliter adimpleat. Qui ſecus fecerit, arbitrio noſtro punietur.

C A P. II.

NEmo, ſiue ſecularis, ſiue regularis, confeſsiones audiat, niſi prius à nobis ſcripto licentiam obtinuerit. Quæ tamen nemini

concedetur, niſi prius ab examinatoribus, ad id à nobis deputatis, diligenter examinatus, & approbatus fuerit. Qui aduerſus hanc conſtitutionem fecerit, ipſo facto ſit excommunicatus, Regularis autem ſit interdictus.

C A P. III.

QVi à confeſſionibus audiendis erunt, ſciant ſuum officium eſſe fidelium animas ad Deum, earum Creatorem reducere, eiq. conciliare, à quo per peccatum, callidi hoſtis inſidijs, doliſq. diſceſſerant alienatæq. erant. Itaque omni ſtudio eis nitendum erit, vt huiuſmodi functioni idoneos medicatores, atque conciliatores ſe præbeant. Neque verò ſatis erit, ſolam abſolutionem conceſſiſſe pœnitentibus, remiſſionemq́. peccatorum cõdonaſſe niſi etiam peritiam habeant adhibendi remedia animis ægrotis, & criminum vulnere ſauciatis, & exemplis rei propoſitæ conſentaneis, atque accommodatis, & ſanctorum Patrum dictis animas, conſcientia ſcelerum agitatas, ſubleuandas eſſe putent.

C A P. IIII.

COnfeſſarij verò, ſi animaduertũt, aliquem ignorantia impediri, quo minus ſigillatim

tim ſingula peccata confiteatur, ſua prudentia, illius inſcitiam adiuuabunt, & ſingula peccata ſcrutentur, & conſilijs ac rationibus, & demum interrogationibus, ad integram & per fectam confeſſionem inducant. In quo quidem eos compendium aliquod, aut methodus & ratio quædam interrogandi breuis memoriæ mandata multum adiuuabunt, qua de re nobis in viſitatione rationem reddituri ſunt.

C A P. V.

QVíſquis, ſiue ſecularis, ſiue regularis, confeſſionibus audiendis præerit, caueat, nè extra ſedem, quod confeſſionale vocant, confeſſiones audiat maximè mulierum. Ea autem lignea ſit, cui tabella inter confeſſorem, & confitentem, interiecta ſit, quæ illos diſiungat. Præterea in ea feneſtella, per quam peccata audit, hærentem habeat cratim ferream, aut æream perforatam, vel ſaltim ligneam. Qui mulierum cõfeſſionem alio, quàm prædicto modo audire tentauerit, excepta neceſſitatis cauſſa, ipſo facto ſit à confeſſionis munere ſuſpenſus. Porrò confeſſarius, nè in caſu quidem neceſſitatis permittat, pœnitentem ex aduerſo, ſiue ab interiore parte ipſius manere, ſed ad dexteram vel ad ſiniſtram, ita vt mutuum fugiant aſpectum, faciemq. ſibi

manu regat, vt qui confitetur, libentius & minus verecundè maximorum ſcelerum conſciētiam aperiat.

C A P. VI.

COnfeſſores doceant, admoneantq. eos, quorum confeſsiones audiunt, omnes ex præcepto Eccleſiæ teneri in illis diebus, quæ à Dominica Palmarum vſque ad Octauam Reſurrectionis Domini intercurrunt, Sacramentum communionis ſemel ſaltem in propria Parochia ſumere, exceptis peregrinis, & quibus de iure, vel aliquo priuilegio aliter permiſſum eſt.

C A P. VII.

CVm ad audiendam confeſsionē alicuius infirmi quilibet è confeſſoribus accerſitus fuerit, mandamus, vt ita promptus ſit, vt omni depoſita, atque abiecta mora, ſtatim ad munus audiendi confeſsionem accurrat, quocunque tempore vocatus fuerit, alioquin ſi, quod Deus auertat, aliquis ſine confeſsione culpa, vel negligentia confeſſoris huiuſmodi, è vita excedat, grauiter arbitrio noſtro punietur.

CAP. VIII.

QVi poſthac confeſſoris munere fungentur, neminem ex alia Parochia, aut Diœceſi confitentem audiant, niſi à nobis, aut à Vicario noſtro, aut illius Parocho licentiam impetrauerint. Quos verò caſum aliquem ſuo proprio Epiſcopo reſeruatum habere inuenerint, & declinandi ſui ordinarij iudicium cauſſa, data opera in ſua Diœceſi confiteri noluerint, prohibemus, nè omnino abſoluant, ſed ad proprium Epiſcopum remittant, niſi ſi illud peccatum in aliena Diœceſi commiſerint.

CAP. IX.

MOnemus omnes Parochos, nè tempore Paſchali, quando ſuo proprio Sacerdoti quilibet confiteri tenetur, faciles admodum ſint ad concedendam licentiam ſuis ſubditis, vt alieno Parocho peccata confiteantur, præſertim ijs, quos veriſimiliter intelligent, hac arte eam petere, vt ſingulis annis confeſſorem mutando, ſcelera ſua facilius tegant.

CAP. X.

SAcerdos confeſſionem auditurus, vt ea, qua decet prudentia, ſe gerat, antequam confeſſionem incipiat, diligenter quærat, & inueſtiget, an pœnitens ad confeſſionem aliquod eorum afferat, quæ abſolutionem impedire poſſint, puta excommunicationem, à qua ipſe abſoluere nequeat; an caſum reſeruatum habeat; an alterius ſit Diœceſis, aut Parochiæ; an à proprio Parocho licentiam confitendi impetrauerit, à quo neceſſario obtinenda foret; an alienæ famæ, aut rei cuiuſquam reſtitutioni ſit obnoxius, & alias confeſſori ſe reſtituturum promiſerit. Quod ſi vllum ſupradictorum impedimentum illum habere repererit, quæ abſolutioni obſiſtunt, & confeſſionem iam nullam efficiunt, vltra nullo modo progrediatur, ſed leniter, pieq. eum dimittat, paternaq. cohortatione ei ſuadeat, vt vbi confeſſor ipſe abſoluendi facultatem obtinuerit, vel pœnitens reſtituerit, ſi quid ei reſtituendum ſit, reuertatur. Si quis autem in eo caſu abſoluere tentauerit, in quo nulla ei tributa eſt facultas abſoluendi, ipſo facto ſit ſuſpenſus.

Præte-

CAP. XI.

PRæterea caueant confeſſores, ne pœnitentias pecuniarias, aut miſſas celebrandas pro ſatisfactione peccatorum cuiquam imponant. At ſi pro perſonæ, & criminis ratione hoc remedium adhibendum viſum fuerit, nemini irrogent, niſi locupleti alicui, & à quibus ſpes eſt, cito eas adimpletum iri. Nam experimento ſæpe cognitum eſt, pauperes, & à re domeſtica non benè paratos, quibus huiuſmodi peccatorum ſatisfactiones indictæ fuerant, ad confeſsionem conſequenti anno, nulla facta ſatisfactione, redijſſe. Itaque omnibus confeſſoribus, etiam regularibus prohibemus ſub pœna ſuſpenſionis, ipſo facto incurrenda, nè in poſterum eas, ſi quando huius generis purgationes pœnitentibus indicendas iudicauerint, ſibi ipſis ſolui patiantur; neuè miſſarum celebrandi onus aſſumant, ſed eas pœnitentibus ipſis mandent curandas, & ab alijs celebrandas.

CAP. XII.

OMnino prohibemus quibuſcunq; cōfeſſoribus, etiam regularibus, nè mulierū con-

feſsione audiant·in priuatis ædibus, præter quam ægritudinis, aut alterius neceſsitatis cauſſa,ſed publicè in Eccleſia, in locis deputatis,vt conſpici ab omnibus poſsint, nec in Eccleſia quidem noctu abſque noſtra,vel Vicarij noſtri licentia,ſub pœna librarum quinquaginta ceræ.

C A P. XIII.

CONfeſſores quàm primnm adoleſcentulis, ad alioqui rudibus,qui nunquam antea communicauerint, ſumendæ communionis licentiam daturi erunt, eos, antequam adeant menſam Dominicam, examinent, & de vi & de efficacia huius Sacramenti Euchariſtiæ inſtruant, doceantq. quid in eo contineantur, quantaq. ſit præparatione,ac veneratione ad eam accedendum.

C A P. XIIII.

POrrò qui confeſsiones audiendi prouinciam aſſumpſit, pœnitentiam noſcat à ſacris Canonibus antiquitus vnicuique ex maximis criminibus irrogatum eiusq; ſeueritatem, & rigorem frequenter meditetur,& de eo pœnitentes inter confitendum admoneat, vt ex qualitate pœnitentiæ, illi ſcelerum agnoſcant

graui-

grauitatem & ipſe prudenti iudicio pro qualitate peccatorum, pœnitentiumque viribus, atque contritione illorum ſeuerisatem iuxta receptam poſteriorum temporum conſuetudinem ex Catholicæ Eccleſiæ indulgentia, alijs bonis operibus pro ſatisfactione ſtudeat mitigare. Confeſſorem autem illud præterire non debet, quod quamuis poſsit pro ſuo arbitratu pęnitentias moderari, id tamen, niſi prudenter recteq. adhibito iudicio, præſtandum non erit, nè ſi pronior & indulgentior fuerit, pœnitentibus iterum ad vomitum redeundi occaſionem afferat.

C A P. XV.

QVi audiendis confeſsionibus à nobis præpoſitus, & ex præcepto præſentis Synodi deputatus fuerit, muneris exequendi facultatem non habeat, niſi prius a nobis, vel Vicario noſtro copiam caſuum reſeruatorum acceperit;quos quidem, & alios ſummo Pontifici reſeruatos,in bulla cænæ Domini contentos, aſsiduè legat,& confeſsionem audiens apud ſe præ manibus habeat,nè quid in abſolutione impartienda erroris committat, & aliquem non legitimè abſoluat.

Caſus

Caſus verò, & peccata, quorum abſolutionem nobis reſeruamus, hæc ſunt.

Blaſphemia Hæreticalis.
Homicidium voluntarium.
Sortilegium cum expreſſa Dæmonum inuocatione.
Occupantes, & detinentes bona Eccleſiaſtica vel ſcripturas, pertinentes ad Eccleſias.
Vſurarij, & qui contractus vſurarios faciet.
Stuprantes virgines violenter.
Qui falſum teſtimonium in iudicio dixerunt.
Reſtitutio incertorum.
Qui Moniales ſine noſtra licentia viſitauerint.
Qui filios oppreſſerunt, etiam inuoluntariè.
Concubinarij publici.
Procurantes abortum cum effectu.

Caſus Pœnitentiarijs reſeruati.

Sacrilegium in Eccleſia opere cõſumatum.
Qui aliorũ literas, vel ſcripturas intercipiunt.
Vitium nefandum.
Inceſtus in primo, vel ſecundo gradu.
Beſtialitas.
Qui tempore debito legata pia non impleuerunt.
Inciſio arborum, vel vinearum.

Come-

Comedentes carnes, ciboſq. vetitos diebus ab Eccleſia prohibitis.

Blaſphemia ſimplex contra Deum, ac Beatam Virginem.

Quoniam confeſſores omnes huius Diœceſis in forma abſoluendi conuenire debent, eam hoc loco adnotandam duximus, qua vti quiſque eorum poſſit.

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam.

Indulgentiam abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens,& miſericors Deus.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius abſoluo te ab omni vinculo excommunicationis maioris, vel minoris (& ſi eſt Clericus, vel Sacerdos addat ſuſpenſionis, & interdicti) quantum poſſum, & tu indiges. Et eadem auctoritate abſoluo te à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita B. Mariæ ſemper Virginis,& omnium Sanctorum,& quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſsionem peccatorum tuorum,in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Vade in pace.

Qui

C A P. XVI.

QVi abſolutionẽ alicuius ſupradictorum caſuum malitioſè cõcedere præſumpſerit, ipſofacto excommunicationem incurrat. Ac vt omnis vel malitia, vel ignorantia tollatur, omnes confeſſores, etiam regulares admonendos duximus, vt eorum nemo ſub pœna ſuſpenſionis, à caſibus Epiſcopalibus quemquam abſoluat prætextu cuiuslibet priuilegij ſibi à Sede Apoſtolica conceſſi. Nam Gregorius Fel. Rec. xiij. declarauit huiuſmodi priuilegia, & conceſſiones haud extendi ad caſus Epiſcopi reſeruatos per literas ſacræ Congregationis Illuſtriſſimorum Cardinalium directas Bon. Mem. Card. Boromeo, & Archiepiſcopo Neapol. quarum tenor eſt;

Illuſtriſsime & Reuerendiſsime Domine. Cum à ſacra congregatione Cardinalium, qui præpoſiti ſunt Decretis Concilij Tridentini interpretandis Illuſtriſsima Amplitudo tua quæſiuerit, an Regulares ex priuilegijs à Sede Apoſtolica impetratis, præſertim autem ex eo, quod nominant Mare magnum, poſsint in ijs caſibus quos ſibi Epiſcopus reſeruauit, abſoluere confitentes. Hac de re vbi Congregatio accuratè egiſſet, & deinde ad ſanctiſsimum Dominum noſtrum retuliſſet, illius ſanctitas

etiam

etiam de ſententia Congregationis cenſuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliauè priuilegia Regularibus conceſſis, factam eis non eſſe poteſtatem abſoluendi in caſibus ſibi ab Epiſcopo reſeruatis. Deus Illuſtriſſimæ Amplitudini tuæ perpetuam vitæ tranquillitatem & incolumitatē largiatur. Romæ die x. Sept. M. D. LXXII. Illuſtriſſimæ & Reuerendiſsimæ Amplitudinis tuæ humiliſsimus ſeruus Philippus Boncompagnus.

C A P. XVII.

ETſi in prima noſtra viſitatione, quam (Deo fauente) peregemus ſtatim, ac regimen Eccleſiæ noſtræ adeptiſſimus, ex præcepto Concilij Tridentini Pœnitentiarium inſtituimus, illudq. munus Leonardo Clementi, noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Canonico, demandauimus, cui muneri Canonicatum, & illius præbendam, iuxta eiuſdem Concilij Tridentini diſpoſitionem, vniuimus, quem idem ipſe Leonardus Clemens in præſentiarum obtinet, pœnitentiarioq. futuris temporibus eligendo couferendum ſtatuimus, tamen quia plerunque vno remedio adhibito, non ſatis opportunitati rei perſpicitur, & ciuitas admodum populoſa eſt, vt vnus hnic muneri commodè ſufficere non poſsit; præſertim tempore Maioris Hebdoma-

domadæ, quo intra paucos illos dies Chriſti fideles ad confeſsionem ſimul confluunt, alterum Pœnitentiarium neceſſariò inſtituendum putauimus. Itaque huic muneri Don. Antonium Triarium V.I.D. Eccleſiæ Cathedralis Theſaurarium præficimus, ac inſtituimus. Quibus facultatem concedimus abſoluendi in ſupradictis caſibus, quos eis conceſsimus, & in poſterum pro expedienti animarum regimine forſan concedemus. Qui dum in Eccleſia ſuum munus exercebunt, interim præſentes in Choro cenſeantur.

C A P. XVIII.

QVùm ſæpe contingat, vt, quod ſalubriter ſtatutum eſt, perniciosè deinde negligatur, cumq. Sacri Canones antea, deinde verò conſtitutio Pij Quinti Summi Pontificis præceperit medicis, vt ſpiritualem prius infirmis, deinde medicinam ſuadeant corporalem, cumq. remedia illa medicorum incuria inutilia penitus exiſtant, validius atque efficacius remedium cogimur adhibere. Quapropter medicis omnibus præcepimus, vt infirmos moneāt & inducant, vt ſpiritualem prius medicinam ſuſcipiant, deinde corporalibus remedijs intendant, & niſi pro certo ſciuerint, ægrotos peccata ſua eſſe confeſſos, ad illos ter-
tio,

tio, vel ad ſummum quarto die nè accedant. Medicus, qui ſecus fecerit excommunicetur.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

C A P. I.

ETſi Parochi curam, atque diligentiam in quolibet Chriſtianæ religionis cultu, atq; Sacramento adhibere debent, maximam tamen eorum ſolicitudinem Sacramentum extremæ Vnctionis expoſtulat. Nam caldiſsimus hoſtis, tunc validiſsimam pugnam, tunc certamen parat grauiſsimum, cum fideles ex hac vita migrare animaduertit, nè ſi illud tempus effluat, laborem & induſtriam, quibus aſsiduè eos vehementer oppugnauerat, amiſiſſe videatur. Parochi igitur ſumma tunc diligentia eorum ſaluti opem afferre magnam enitentur, quos ſibi ſuæq. fideicommiſſos hàbuerunt, memores illius, quod à Propheta aduerſus Parochos deſides, atque ignauos dicitur; Sanguinem animarum de manu veſtra requirã. Itaque cum ægroti ſalus à medicis deſperata iam erit vel in eo iã vitæ ſtatu ægrotũ reperiri cognouerint, vt sũmopere eius vita periclitetur, hoc extremæ Vnctionis Sacramentũ curabũt adhibere, cũ ægrotus adhuc integris eſt ſenſibus, neq. ſibi expectandũ putauerint, vt in hac ciuitate hactenus ferè ab oĩbus fieri cõſuetũ eſt, quod

ægrotus omni deſtituatur ſenſu, vt, ſi vigente ratione illud acceperit, maiorem inde fructũ & gratiam ſua cooperatione, & veneratione etiam exteriori percipiat. Superſtitionem illam procurabunt tollere, quæ animas hominum rudium, & mulierum inuaſit, quæ eos mori putant, quos primo aſpexerit is, qui Sacramentum Extremæ vnctionis ſuſceperit, & ab infirmitate deinde conualuerit: Aegroto autem in periculo mortis conſtituto, ſpem commodæ valetudinis haud dabunt, ſed prudenter adhortabuntur, pijsq. cohortationibus inducent, vt cupiditate æternæ vitæ, atque immortalis gloriæ ei iniecta, quam Deus parauit diligentius ſe, non ſolum temporalium rerum, & terrenarum cupiditatum, ſed vitæ etiam ipſius obliuiſcantur.

CAP. II.

PArochi videant, nè cui pluries hãc ſacram vnctionem in vna, eademq. ægritudine cõferant, ſed ſemel dumtaxat, cum ægrotus in periculum vitæ minimè dubium venerit, niſi adeo longa ægrotatio erit, & in ea infirmus ſæpius in eodem vitæ periculo verſetur.

CAP. III.

IN huius adminiſtratione Sacramenti eoſdẽ ritus,& cęremonias Parochi adhibeant, quibus Romana Eccleſia vtitur; ac illemet ipſe Sacerdos,qui vngit ægrotum,neque ante vnctionem, neque poſt, verborum formam exprimat,neque alius ſit, qui vnctionem adhibeat,alius autem, qui præſcriptam verborum atque orationum formulam pronunciet. Sed eo ipſo tempore, quo iungit, ipſemet conceptam verborum formam proferat. Illud præterea animaduertant Parochi; quod, etſi loca omnia corporis, in quibus maximè vigent ſenſus,vel vnde peccatorum radices potiſſimum oriri putantur,inungenda ſunt, renum tamen vnctio præſertim in mulieribus,ob quamdam honeſtatem,& decentiam præteriri proculdubio poterit.

CAP. IIII.

PArochus,vnctione confecta,atque abſoluta, ſtatim ægroto commendationem animæ faciat, efflanti animam aſſiſtat, morientem pijs verbis, & quæ Spiritus ſanctus ei immittet,adiuuabit. Quod vt facilius aſſequi poſſit,aliqua ediſcet, quæ morientibus adiumen-

to eſſe queant, in illisq. perdiſcendis ſtudium, & diligentiam nauabit.

C A P. V.

NEmini liceat, niſi Paſtoribus animarum hoc Sacramentum adminiſtrare, vel ijs quibus ipſi vice ſua adminiſtrandum conceſſerint. Idem animarum Paſtores cõſanguineis ægrotum circumſtantibus conſulant, nè ante illum plangant, nè, qui res cæleſtes meditari debeat, ei animi perturbationem, & exanimationem afferant, neuè eum terrenis de rebus alloquantur, ſed aliquo ſalutari verbo illum conſulentur, Deumq́. pro illius ſalute deprecentur.

De Sacramento Ordinis. C A P. I.

IEſu Chriſti Saluatoris ore, atque diſciplina docemur, quod qui non intrat per oſtium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. Fures igitur merito vocantur, qui proprij commodi gratia, qui Iudicis laici iuriſdictionem vitandi cauſſa, in Eccleſiam intrant, & in ſortem Domini adſcribuntur. Quæſtus enim, & lucri cauſſa ad Eccleſiaſticos gradus promoueri, maximum ſacrilegium eſt. Ad Ordines itaq; Eccleſiaſticos nemo aſſumatur, niſi qui prius dili-

diligenti examine,& inquiſitione repertus fuerit ſufficienti literarum doctrina inſtructus, bonis moribus,& probata vita ornatus, & qui ſperetur vtilis futurus Eccleſiæ Chriſti, ac demum eas qualitates habeat,quas Sacrum Tridentinum Concilium requirit.

CAP. II.

SIquis ab alio Epiſcopo, quàm à nobis ad Ordines etiam minores promoueri cupierit, cum legitimè impediti, ordinationem facere non poterimus,literas dimiſſorias,ſiue teſtimoniales ab alio, quàm à nobis obtinere nequeat.Quare expreſsè vicario noſtro prohibemus nè huiuſmodi literas alicui concedere valeat, etiam nobis abſentibus, abſque noſtro ſpeciali mandato. Qui abſque noſtra licentia ordinem aliquem acceperit, pœnis arbitrio noſtro puniatur, & ſuſpenſionem ipſo facto incurrat,in qua tamdiu maneat, quamdiu nobis uiſum fuerit.

CAP. III.

QVi ad ordines ſacros promoueri voluerint,per menſem ante ordinationem coram nobis comparere teneantur, vt de eorum vita,moribus,& alijs requiſitis dili-

gens inquiſitio fieri poſſit, qui etiam ſufficiens teſtimonium afferant de illorum legitima ætate, cuilibet Ordini ſuſcipiendo neceſſaria, ita vt ad Subdiaconatum, ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatum, ante vigeſimum tertiũ ad Presbyteratum, ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum nemo aſſumatur. Sciant tamen cuncti, non omnes in ea ætate conſtitutos, à nobis promotum iri, ſed eos dumtaxat, qui ex præcepto Concilij Tridentini ſacris myſterijs digni à nobis reperientur. Qua in re videant diligenter, nè in pœnam ſuſpenſionis, vel in irregularitatem incurrant, iuxta conſtitutionem Pij II. Qui verò malitiosè ante legitimam ætatem ordines acceperint, præter prædictas pœnas, in excommunicationem etiam ipſofacto incurrant, à qua non poſſint, niſi à nobis abſolui. Qui intra menſem ante ordinationem, vt ſupradictum eſt, non comparuerint etiam ſi qualitates requiſitas habeant, ſpem in ea ordinatione promouendi amittant, ſed ad aliam ordinationem differentur. Regulares quoque cuiuſcunque Religionis, quamuis ex officio eis non incumbat confeſſiones audire, ad ordines ſacros, præſertim Presbyteratus non admittentur, etiam ſi in ætate legitima conſtituti fuerint, niſi grammaticam intelligant, & aliàs iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini idonei exiſtant.

De

De Sacramento Matrimonij.

C A P. I.

SAcramentum Matrimonij iuxta doctrinã Apoſtoli magnum eſt. Chriſti enim ineffabilem cum Eccleſia coniunctionem repreſentat, ac ideo magna cum ſanctitate, ac veneratione tractandum eſt. Quoniam verò quæ de hoc Sacramento neceſſariè docenda, retinendaque erant, à Sacroſancta Tridentina Synodo explicata ſunt, illud nobis dumtaxat præcipiendum duximus, vt quicquid ea de re prædicta Synodus tradidit atque docuit, ab omnibus recipiatur; & inuiolabiliter obſeruetur. Vt autem Matrimonia, in vnaquaque Parochia contrahenda, rectè celebrentur, ac memoria eorum, quæ de reformatione Matrimonij prædictum Concilium Tridentinum ſtatuit, rècens apud omnes conſeruètur, Parochis omnibus præcipimus, vt pluries intra annum Decretum eiuſdem Concilij de reformatione Matrimonij Capite primo in ſingulis Eccleſijs Parochiarum publicent, & vulgari lingua populo explicent.

C A P. II.

PLerique ſalutem ità negligunt, vt quamuis plurimos annos nati ſint, ea tamen quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, prorſus ignorent. Quamobrem mandamus omnibus Parochis, vel ijs, qui vices eorum gerunt, qui matrimonio contrahendo intereſſe debent, vt antequã ſponſis benedictionem impartiantur, matrimonioq. coniungantur, ab eis quærat, an Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum ſciant. Quos verò prædicta neſcire compererint, arguant moneantq. vt quamprimum tam neceſſaria fidei & pietatis rudimenta curent addiſcere.

C A P. III.

CVm antequam Matrimonium contrahatur iuxta Decretum Concilij Tridentini tribus continuis diebus feſtis populo annunciari debeat, hæ denunciationes nullo alio in loco, aut tempore, niſi in propria Parochia ter publicè fieri iubemus, vel in Miſſa cantata, vel in ea, cui frequens, ac celebris populus intereſſe ſolet.

CAP. IIII.

AD contrahendum Matrimonium Parochi exteros, & ignotos ſine noſtra, vel Vicarij noſtri licentia non admittant: quæ quidem non concedetur, niſi nobis à proprio illorum Epiſcopo authenticam fidem attulerint, poſſe eos legitimè matrimoniũ cõtrahere.

CAP. V.

NEmo audeat ſponſos alterius Parochiæ matrimonio coniungere, aut eis benedictionem impartiri abſque noſtra, vel Vicarij noſtri licentia, vel ſaltem ipſorum contrahentium proprij Parochi, aliàs ipſofacto, pœnam ſuſpenſionis incurrat.

CAP. VI.

NEmo ante contractum Matrimonij per verba de præſenti celebratum, domum ſponſæ adire audeat, vel cum ea conuerſari, ſub pœna noſtro arbitrio reſeruata.

CAP. VII.

LIbrum vnuſquiſque Parochorum habeat, vbi coniugum, atque teſtium nomina, &

cognomina,& eorum patrias,dies etiam contracti matrimonij, atque denunciationum factarum deſcribat. Librum autem ipſum ad nos quotannis exhibeat,vt in actis noſtræ Curiæ conſeruetur.

C A P. VIII.

CVm denunciationes matrimonij contrahendi iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini,à proprio Parocho fieri debeant, ſtatuimus non ad Cantorem, aut Subcantorem pertinere, vt ex abuſu quodam antehac factum eſſe reperimus, ſed à proprio contrahentium Parocho tam in ciuitate,quàm per Diœceſim in poſterum faciendas mandamus,citra præiudicium ad præſens Cantoratus poſſidentium.

Finis Libri ſecundi.

CONSTITVTIONVM HOSTVNEENSIS SYNODI

Tertia pars.

De ijs, quæ pertinent ad perſonas Eccleſiaſticas, & loca pia.

De Sacroſanctis Eccleſiis, & Altaribus.

CAP. I.

ECCLESIA, in qua verbum Dei prædicatur, orationes fidelium fiunt, & diuinus cultus exercetur, quàm piè, quàm ſanctè frequentanda ſit, quàq; ad eam ex cauſſa ingrediendum, ex eo admonemur, quòd Chriſtus Dominus eam domum Dei, & domum orationis appellauit, & flagellis adhibitis, inde eos expulit, qui in ea minus ſanctè verſari inuenit. Illuc igitur veniendum eſt, non nugandi cauſſa, non negotiandi, aut profanum aliquod agendi; ſed vt Deum reuerenter laudemus, preces fundamus, ſanctificationem, & gratiam

gratiam nobis comparemus, & demum ibi omni, quam domum Dei decet, pietate & veneratione maneamus. Vt igitur ipſius Eccleſiæ miniſtri alijs exemplo ſint, quo ad ſtudium erga Deum, & Eccleſiæ venerationem incitentur, præcipimus cuiuſcunque ordinis, & dignitatis Clericis; nè in Eccleſia circulos, aut conuenticula faciant, neuè mutuo inter ſe, aut cum laicis præſertim altà voce colloquantur, etiam ſi diuina officia non dicantur. Ac propterea vtquoad fieri poteſt omnis occaſio tollatur, mandamus Sacriſtę, vt mane iam officio miſſarum abſoluto, fores Eccleſiæ, excluſis omnibus, occludat, & vſque ad veſpertinum officium clauſas teneat, quas iterum, vbi inde omnes diſcedere iuſſerit; diligenter claudendas curet, niſi pro neceſſitate vrgente, aliter ei faciendum erit. Si negligens fuerit, arbitrio noſtro punietur.

C A P. II.

LAicis mandamus, vt dum in Eccleſia adſunt, Diuinis officijs intendant, omni, qua decet veneratione, perſiſtant, in ea neque conuentus, quæ concilia appellantur, neq; tractatus, neq; cōtractus, neq; ſtipulationes, neq; negotiationes quaſcunq; vllo vmquā tēpore agāt & dum Diuina officia celebrantur, circulos, aut

aut conuenticula nè faciãt, neuè deãbulent, neuè quocunque modo nugentur. Altaribus, & Fontibus aquæ benedictæ, aut baptiſmalis nè incumbant. Omnibus autem, cuiuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, præcipimus ſub pœna excommunicationis, nè ad ianuas Eccleſiæ adſint, vt exeuntes mulieres, aut introeuntes aſpiciant, quod ſine magno aliorum ſcandalo fieri non poteſt. Item ſub eadem excommunicationis pœna ſcoppettas in Eccleſia, baliſtas, haſtas, ſeu lanceas nè inferant.

C A P. III.

PAtronis fouearum, quæ pro ſepeliendis mortuis in Eccleſia fiunt, propoſita pœna priuationis iuris ſepeliendis in eis, mandamus, vt eas intra menſem operculis integris aptè occludant, & ita poſthac vndequaque occluſas ſeruent, nè vel diuina officia fœtore turbentur, vel audientes illa prætermittant, aut ab eis mentes auertant, neuè ſi opercula fracta ſint & conciſa, Eccleſiæ pauimentum deturpetur. Qui intra menſem, quoties opus erit, admoniti, ea non refecerint, accommodauerintuè, iure ſepeliendi priuentur.

Mino-

CAP. IIII.

MInorum ordinum functiones vtiles, & Eccleſiæ maximè neceſſarias eſſe, ſacri Canones; & auctoritas Sanctorum Patrum oſtendit. Ac propterea eas in Cathedralibus, ac in Collegiatis, & Parochialibus,alijsq. Eccleſijs, in quibus ſunt Clerici in omnibus ordinibus conſtituti,ſi commode fieri poteſt, Concilium Tridentinum reſtituendas mandauit. Inter cæteras autem ſumme neceſſaria eſt ea, quę ab Oſtiario exercenda eſt,cuius cura eſſe debet ',vt debito tempore fores Eccleſiæ claudat & aperiat,neminem qui ſacris aſtare prohibitus ſit, intromittat, & demum quicquid diuinis Officijs perſtrepere, aut obeſſe poſſit, ab Eccleſia arceat. Quapropter Theſaurario Cathedralis Eccleſię mandamus, in alijs autem Eccleſijs huius noſtræ Diœceſis Curatis quibuſcunque; vt per ſingulas hebdomadas aliquos ex Clericis deputent,qui pauperes inter miſſarum ſolemnia, aut dum diuina officia fiunt,per Eccleſiam vagari,& eleemoſynas petere non permittant, nè celebranti res diuinas,aut illas audientibus voce obſtrepent,aut alias faſtidio ſint. Huiuſmodi autem pauperibus extra Eccleſiam locum conſtituant, vbi eleemoſynam petant.Eos autem, qui vel inter

dicti,

dicti, vel excommunicati ſunt, nullo modo in Eccleſiam ingredi permittant, ingreſſos autem, inde expellant, & diuinis officijs non patiantur intereſſe. Demum canes arceant, qui diuinis officijs perturbationem afferre latratibus, vel aliquod immundum in Eccleſia facere ſolēt. Cuius rei gratia flagellum aliquod in Sacriſtia ſeruetur: qui in aliquo ſupradictorum defuerit, arbitrio noſtro punietur.

CAP. V.

CVret Sacriſta, vt Eccleſia ſemel ſaltim in hebdomada verratur, ſcopisque mundetur, tectum, & parietes aranearum telis, & fuliginibus, aut huiuſmodi ſordibus pluries in anno purgentur.

CAP. VI.

VT Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium, quo nullum aliud opus magis ſanctum, ac magis diuinum à Chriſti fidelibus tractari poteſt, quanta maximè fieri poteſt, externâ quoque munditia, & puritate peragatur, præcipimus, vt altaria, in quibus tam tremēdum myſterium conficiendum erit, ita accommodata, aptaq. ſint, vt in eis Sacerdotes ſatis decenter, commodeq. celebrare queant; ſint è lapide,

vel ſaltem è latere conſtructa, ex tabula verò, vel ex aliqua lignea materia fieri omnino prohibemus. Præterea longitudo eorum extendatur ad palmos ſex, latitudo autem non minori ſit ſpatio, quàm palmarum trium. Tobaleis vero tribus, & pallio vel è ſerico, vel è corio, vel è panno integris, mundis, & decentibus adornentur. Iconam iuſuper habeant, vel ſaltem in parietibus picturam, quæ eleganter expreſſam piam alicuius ſancti effigiem referat. Ad hæc paruum Crucifixi ſignum, vel crux niſi in pariete depicta ſint, imponatur: Duo item candelabra ſaltim è ligno elegantia ſuperaddantur. Porrò puluinaria duo honeſta, quibus in celebranda Miſſa miſſale ſuffulciatur, & reliquo tempore altare ornetur. Præterea adſit pagella tabulæ adhærens, in qua Sacerdos legat Gloria, Credo, Verba conſecrationis, & reliquas orationes, quas ſecretas appellamus. Altare portatile, quo in illis in celebratione Miſſarum Sacerdotes vtuntur, ea latitudine, & longitudine ſit, vt Hoſtia, & Calix commodè ſuper eo, dum celebratur, retineri poſſint. In dextro cornu altaris feneſtella adaptetur, in qua vini, & aquæ vaſcula collocari poſſint. Poſtremo ſcabellum, aut ligneum, aut lapideum ſit integrum, ſanum, terræ ſatis firmè adhærẽs, & ea latitudine, vt ſacerdos in eo commode conſiſtat, lõgitudine autem altare ipſum adęquet.

quet. Vt autem ſupradicta omnia debitæ executioni demandentur,cum in alijs viſitationibus fuerint à nobis ordinata, & minimè adhuc impleta,præcipimus omnibus Curatis,& dictorum altarium Capellanis,& Rectoribus vt infra duos menſes à publicatione præſentis Decreti, ſub pœna librarum ceræ quinquaginta, Altaria, in quibus celebrare tenentur, eo modo quo ſupra deſcriptum eſt,adornent, & inſtruant.Ea autem altaria, quorum redditus adeo tenues ſunt,vt ad prædicta non ſufficiãt, eorum patroni de omnibus prædictis ornamẽtis infra præſcriptum tempus duorum menſium ſuis expenſis prouidere teneantur. Quo elapſo, nemini liceat ſine noſtra licentia in illis Altaribus celebrare: quæ de prædictis omnibus adhuc prouiſa non fuerint.Quas autem miſſas in illis dicere tenentur,eas vel in altari maiori celebrabunt, vel vbi eis commodius viſum fuerit.

CAP. VII.

LAicis autem,cuiuſcunque ordinis, & dignitatis exiſtant, mãdamus ſub pœna excõmunicationis latæ ſentẽtiæ, vt in perceptione fructuum, prouentuum,obuẽtionum quorum-

rumcunque beneficiorum, etiam ſi verè de iure patronatus ipſorum ex fundatione, & dotatione eſſent, nullatenus, nullauè cauſſa, vel occaſione ſe ingerant, ſed illos liberè eorum rectoribus, ſeu beneficiatis, non obſtante etiam quacunque conſuetudine, diſtribuendos dimittant.

De bonorum Eccleſiaſticorum conſeruatione.

C A P. I.

VT aliqua ex parte perſoluamus officium, cui vinculo iuramenti adſtricti ſumus, vt iura noſtrę Cathedralis Eccleſiæ non ſpiritualia ſolum, ſed etiam temporalia tueamur, excommunicatos declaramus eos, qui bona ſtabilia, vel mobilia, contractus, inſtrumenta, ſcripturas, iura, & cenſus, aut quamcunque rem aliquam, quæ ad menſam noſtram, vel Cathedralem Eccleſiam, aut alias Eccleſias, Monaſteria, & loca pia quæcunque noſtræ Diœceſis pertinent, iniuſtè detinent, niſi intra dies decem, quos pro trina Canonica monitione eis aſſignamus, debitam reſtitutionem fecerint.

Loca-

CAP. II.

LOcationes rerum Eccleſiaſticarum, ad lõgum tempus factæ, ex decreto Concilij Tridentini prohibentur, eiſq. per conſtitutionem extrauagantem Pauli ſecundi triennium præſcribitur. Quamobrem omnibus mandamus, qui antehac bona Eccleſiarum, Capellarum, hoſpitalium, & aliorum piorum locorum, quæ iuriſdictioni noſtræ ſubiecta ſunt, contra formam dictę extrauagantis alicui locauerint, vt intra dies octo, poſtquam huius Decreti notitiam habuerint, contractus locationis huiuſmodi irritos declarari faciãt. Qui verò in poſterum locationes huiuſmodi vltra triennium facere audebit, præter dictæ extrauagantis cenſuras, ac pœnas, à nobis etiam ſeuerè punietur.

CAP. III.

MAgiſtri verò, ſiue Procuratores Confraternitatum, Hoſpitalium, & aliorũ piorum locorum, quibus bonorum huiuſmodi locorum adminiſtratio commiſſa eſt, mandamus, nè locationes dictorum bonorum in poſterum faciant vltra triennium, abſque noſtra, vel Vicarij noſtri licentia.

C A P. IIII.

LOcatio autem huiuſmodi rerum, ſi fieri contingat, publicis ſubaſtationibus fiat, ac ad eam omnes admittantur, exceptis ijs, qui intra primum, & ſecundum gradum ſanguine coniuncti ſunt, cuiquam eorum, qui locationi præerunt, & qui locorum debitores ſunt, quorum bona locantur, quique idoneè ſatiſdare pro locationis mercede recuſauerint. Contractus contra præſentem conſtitutionem ineundos, irritos fore atque nullos declaramus.

C A P. V.

CLericis item interdicimus, nè ſuorum beneficiorum bona propinquis, & conſanguineis, intra primum & ſecundum gradum ſibi coniunctis, locare poſſint, ſub pœna ducatorum quinquaginta. Contractus autem huiuſmodi, ac locationes ipſas, contra hoc decretum factas, nullas declaramus.

C A P. VI.

SI quis Clericus beneficiatus bona Eccleſiaſtica alicui locauerit, quæ conductorum negli-

negligentia, aut culpa deteriorata fuerint, interdicimus nè Clericus beneficiatus huiuſmodi damnum remittat, ſed nobis ſignificare teneatur, vt ſumptibus conductorum, quorum culpa deterioratio accidit, damnum reſarciri curemus.

CAP. VII.

NE vero res, & bona Eccleſiaſtica diſpereant, ſed vt rectius, cautiusq. conſeruentur, ac facilius ab ijs vindicari poſſint, quibus ea occupandi voluntas erit, ſtatuimus, & mandamus, vt Clerici quicunque beneficia Eccleſiaſtica curata, vel ſine cura poſſident, etiam ſi ſimplicia ſint, intra menſes ſex autenticum inuentarium coram notario publico, & teſtibus conficiant, in quo beneficiorum cum cura, vel ſine cura, ac etiam ſimplicium bona, iura, cenſus, actiones, redditus, ac denique omnia ad ipſa ſpectantia, annotentur, nominatimq. bonorum qualitates, & quantitates, ipſorumque confinia adſcribantur. Huiuſmodi autem inuentarium ad nos, vel Vicarium noſtrum deferant, vt in Archiuo Epiſcopalis Curiæ àd futuram rei memoriam conſeruetur.

De Legatis pijs. C A P. I.

SI quis teſtamento aliquid in vita, vel poſt mortem alicui loco pio legare cōſtituerit, nemo eum impediat, nemo aliquo modo directè, vel indirectè uoluntatem illius à ſuſcepto propoſito auertere conetur, ſed permittatur ei, vt libere de ſuis bonis diſponat, quemadmodum Deus ei inſpirauerit. Qui aduerſus hanc conſtitutionem fecerint, ipſofacto ſint excommunicati.

C A P. II.

NOnnulli Chriſtianæ pietatis obliti, ſatisfactionis etiam obliuiſcuntur, cui ob uaria ad vſus pios relicta non ſine teſtantium animarum præiudicio, & graui ſuo ipſorum peccato ſunt adſtricti. Quapropter ſub pœna excommunicationis præcipimus, vt quicquid vel ex teſtamento, vel donatione, vel alia quacunque cauſſa locis pijs relictum eſt, vel in poſterum relinquetur, qui ad id tenentur, intra menſes ſex omnino ſoluant.

C A P. III.

VT circa ad vſus pios relicta poſſit debita

prouiſio fieri, cunctis Notarijs mandamus, vt, cum teſtamenta conficere contigerit, in quibus aliquod Legatum pium relictum fuerit, nos, vel Vicarium noſtrum intra menſem poſt mortem teſtatoris de huiuſmodi Legatis pijs docere teneantur. Aliter excommunicationi ſubiaceant. Ac vt huius noſtræ ordinationis, & decreti, perpetua, & recens memoria apud Notarios exiſtat, Parochis præcipimus, vt præſens Decretum in ſuis Parochialibus Eccleſijs infra Miſſarum ſolemnia ſæpius intra annum Dominicis diebus publicè legant, & populo annuncient, aliàs à nobis punientur.

C A P. IIII.

Atque laudabilem cõſuetudinem approbamus, & ſi opus eſt, confirmamus, qua Epiſcopus in hac noſtra Diœceſi conſueuit; prout etiam in præſentiarum ſolet, teſtamenta ad pias cauſſas conficere, cum aliquem ab inteſtato mori contigerit. Eo namque modo defunctorum animæ ſuccurritur, qui morte præuenti auxilio quoque naturæ deſtituti, illud per ſe ipſos in vita minimè efficere potuerunt.

Die 15. Junij 1608. Per Regium Coll^m Cons.^m ad instantiam Un.^{tis} Policastri fuerunt expeditę literę hortatoriales Archiepiscopi Sanctæ Severinæ, ut abstineret a faciendis testamentis eorum, qui prius decedãt ab intestato.

 Præte-

CAP. V.

PRæterea antiquam conſuetudinem approbamus, & confirmamus, quæ hucuſque in Terra Carouinei ſeruatur, vt quarta Legatorum piorum Epiſcopo huius ciuitatis perſoluatur.

De Proceſſionibus. CAP. I.

ETſi Clericos vbique modeſtos eſſe decet, illos tamen, cum in publicum veniunt, & per ciuitatem, vel Eccleſiam in conſpectu populi incedunt, modeſtiam præſeferre ſummè neceſſarium eſt, nequid in geſtu, in actione, in ſermone incompoſitum oſtendant, vnde fidelium animos, qui in eorum vitam intuentur, offendant. Cum igitur in publicis ſupplicationibus, ſeu proceſſionibus per ciuitatem, aut per Eccleſiam eos ire contigerit, ſilentium ſeruent, riſum vel nimium fugiant, oculos huc, illuc nè flectāt, ad feneſtras ſtantes nè aſpiciāt, talares veſtes omnes deferant; ſuperpellicijs ſe induant, bini ordinatim incedant; deuotè omnes, & religioſè pſallant, laudeſq. Deo recitent, ordinem ſeruent. Atque vt ordines recta procedant, magiſtri cæremoniarum, qui à nobis deputantur, per medios ordines diſcurſant,

rant, omnes locis aptis, & accommodatis di-ſtribuant, & ire iubeant, neminem extraordi-nem exire permittant, ita vt in procedendo nulla, aut confuſio, aut ineptitudo appareat.

C A P. II.

IN proceſſionibus quibuſcunque, etiam fu-neralibus is, qui crucem feret, omnino Cle-ricus ſit, ſaltem prima tonſura initiatus, qui talari veſte, & ſuperpellicio induatur.

C A P. III.

AD ſolemnes ſupplicationes omnes Cleri-ci cuiuſcunque ordinis conueniant ab initio, cum proceſſio ab Eccleſia egreditur. Qui ſecus fecerit, vltra pœnam puncti conſue ti, alijs etiam pœnis noſtro arbitrio punietur.

C A P. IIII.

CLerici in quacunque proceſſione, etiam funerali, pileis nè vtantur. Qui ſecus fece rit, pœnam incurrat vnius ducati.

C A P. V.

IN ſolemnibus proceſſionibus, quæ ſingulis

annis fiunt in feſtiuitate ſanctiſſimi Sacramenti Corporis Chriſti, nemini liceat ad feneſtras ſtare, dum Sacramentum ante eorum ædes incedit, & inde Sacramentum præteriens, aut turbas proſequẽtes aſpicere, ſed præcipimus, vt omnes deſcendant, & uel ante ianuas Sacramentum reuerenter adorent, uel cum cæteris alijs proſequantur, ſub pœna excommunicationis.

Fœminis ſub eadem pœna excommunicationis præcipimus, ne proceſſionem diſciplina ſe uerberantium, quæ tempore maioris Hebdomadę noctu fieri conſueuit, proſequantur.

De Funere, & Exequijs Mortuorum.

C A P. I.

ETſi fletus in amiſſione carorum minimè reprehendi debet, quòd ex beneuolentia, & affectu quodam naturali proficiſcitur, illi tamen uituperandi quidem ſunt, qui in eo genere fines modeſtiæ prætergrediuntur. Itaque mandamus, ut dum ad Eccleſiam funus effertur, qui proſequnntur, etiam in uia lamentationibus, quantum poſſunt, modum adhibeāt. Cum autem funus Eccleſiam ingreditur, propinqui, ſi ad eam intromitti uolunt, ploratui

atque lamentis,crinium laceratione, atque genarum, pectoriſq. percuſſione omnino abſtineant, quippe cum eiuſmodi res etiam diuinis officijs perturbationem afferre ſoleant, & Eccleſiæ parum venerationis præbere. Qui cõtra fecerint,eos ab Eccleſia Sacriſta eijciat, cui ſi obtemperare noluerint, eis Eccleſiæ ingreſſus interdicetur.

CAP. II.

MAndamus vt in Cathedrali Eccleſia, & in omnibus alijs cuiuſcunque loci huius Diœceſis, perpetuis futuris temporibus, prima die poſt Commemorationem omnium fidelium defunctorum, ſolemniter quotannis cantetur Miſſa pro anima Epiſcoporum defunctorum.Epiſcopi enim, dum vixerũt,tamquam patres, & boni paſtores pro Eccleſijs, & Clero ſibi ſubiectis,elaborarunt.

CAP. III.

MOrtui dè nocte nè ſepeliantur, nec mane quidem interea dum Miſſa cantatur,ſi tamen neceſſitas vrgebit,abſque noſtra, vel Vicarij noſtri licentia nè fiat.

CAP. IIII.

SI quando pro crimine inueſtigando, vel iu riſdictione quoquomodo explicanda, velint Iudices laici interemptorum corpora inſpicere, omnino fieri in Eccleſia prohibemus, vbi illuc introducta fuerint. Si verò hoc fieri contigerit, extra fores Eccleſiæ, & ante quàm cadauer ad eam intromittatur, permitti poterit, vt melius immunitas Eccleſię conſeruetur.

CAP. V.

IVxta ſacrorum Canonum ſtatuta, mortuorum corpora nè inuoluantur veſtibus, ac paramentis, ad Altarium, & Eccleſiaſticum vſum comparatis. Siquis, cui cura huiuſmodi veſtium conſeruandarum incumbit, alicui ad hunc vſum, corporaq. huiuſmodi tegenda eas accommodauerit, libris quinquaginta ceræ puniatur.

CAP. VI.

SI contigèrit aliquem in alicuius parochia è vita decedere, qui ob ſummam eius paupertatem nihil in bonis reliquerit, vnde funeris impenſa, aut quod Parochialibus Presby-

teris

teris debetur,ſolui non poſſit,decernimus, vt exequiæ gratis fiant à Parocho, & alijs Sacerdotibus,qui eo die,quo mortuus ſepeliendus erit, diuina obſequia Eccleſiæ tenentur præſtare.

C A P. VII.

ETſi piæ, & laudabiles conſuetudines, deuotione fidelium introductæ ſeruari debēt, vt aliquæ Parochis eleemoſynæ pro ſepultura,& exequijs mortuorum præſtentur, omnino tamen Parochi caueant, nè in huiuſmodi caſibus pactiones quaſcunque faciāt, neuè exigere tentent,tamquam per vim mercedem aliquam,vt eo pacto omni careant auaritiæ labe.Sed ſiquis,quod eis debetur,ſoluere renuerit,nos certiores faciant,vt aliquam rationem, quā eis ſatisfiat, inire poſſimus.

C A P. VIII.

CLerici, qui operam exequijs mortuorum præſtabunt,ſuperpelliceo ſuper ueſte talari induti,ordine,bini, pſallentes deuotè funus comitentur:& in Eccleſia dum officium celebrabitur, deuotè ſuis in locis maneant, & ſimul omnes pſallant,aut recitent,& eleemoſynas neque diſtribuant, neque rationes ſuppe-

tent,

tent. Is autem Sacerdos, qui officio præerit, pluuiali vel ſaltem ſtola induatur. Nemo deinceps celebrationem officij deſeret, niſi eo abſoluto, & cum mortuus in ſepulturam fuerit illatus.

CAP. IX.

AD ſepulturam poſthac, etiam in Eccleſijs regularium, nemo admittatur, niſi prius à nobis, vel Vicario noſtro generali, & in locis noſtræ Diœceſis à Vicario foraneo licentiam obtinuerint, vt videre poſſimus, num in Paſchate peccata confeſſus fuerit, & ſacram Euchariſtiam ex Eccleſiæ præcepto ſumpſerit, aut aliàs Eccleſiaſtica ſepultura dignus exiſtat. Regulares contra facientes, interdicto ſubiaceant, ſeculares verò noſtro arbitrio puniantur.

CAP. X.

SCiant cuncti, eos Eccleſiaſtica ſepultura eſſe priuatos, qui tempore Paſchali confeſſi non fuerint, qui in excommunicatione maiori deceſſerint, nominatim interdicti, infideles, heretici, pueri qui ſine baptiſmo decedũt, qui ſibi ipſi mortem intulerint, publici vſurarij, & demum omnes, qui in peccato mortali

abſque

abſque ſigno pœnitentiæ intereunt.

C A P. XI.

ECcleſiæ Parochiales cæmeterium contiguum habeant, vel, quoad fieri poteſt, vicinum, muris vndique ſæptum, ne cui præuium ſit, vt ibi reponi, atque decenter ſeruari poſſint oſſa mortuorum, cum ſepulturas euacuari, mundarique contigerit.

De vita, & honeſtate Clericorum.

C A P. I.

SIcuti Clericorum honeſtas intus per morum compoſitionem in animo eſſe debet, ita quoque in habitu exteriori, ad populi ædificationem, & ad ſui etiam ipſorum, atque totius Clericalis ordinis reuerentiam, & dignitatem elucere maximè oportet. Clericis itaq; quibuſcũque ordinibus initiatis præcipimus, vt perſpicua Clericali tonſura, quæ militiæ ſpiritualis decus eſt inſigne, aſſiduè vtantur. Veſtes, ſuperiorem, & interiorem, ſimplices, & talares, non alterius quàm nigri coloris deferant; in itinere autem breuioribus vti poterunt, honeſtati tamen Clericali decentibus.

Caligas diſſectas, & alterius quàm nigri, aut albi coloris interdicimus. Itē calceos, cothurnos, & crepidas, inciſas aut ſericas eos geſtare prohibemus; illos autem omnino ſimplices & integros eſſe ſtatuimus. In ſagorum verò, & diploidum manicis, & collaribus, alio quàm nigro colore non vtantur; neque ſe camiſijs ad collum criſpis, aut ad manus arte laboratis, vel ſericos vtis induant. Pileos in Eccleſia prorſus nè ferant, nec extra eam quidem, præterquàm aut valetudinis, aut pluuiæ, aut frigoris, aut alterius neceſſitatis cauſſà; ij verò ſimplices, & honeſtæ latitudinis exiſtant. Qui in aliquo horum deliquerit, pœna carceris, & pecuniaria, locis pijs applicanda, noſtro arbitrio mulctetur.

C A P. II.

QVoniam verò, vt Apoſtolus ait, ſpectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus, & ideo laici ipſi, tamquam in ſpeculum aliquod, in Clericorum vitam intuentur, vnde exemplum ediſcant eorum omnium, quæ aut fugere, aut ſectari ſe oporteat, Clerici ſobriè, & caſtè vbique viuant. Itaque præcipimus Clericis quibuſcunque, nè comedias, fabulas, choreas, haſtiludium, aut ludicrum, & profanum vllum ſpectaculi genus

aut

aut ipſi agant, aut ſpectent. Qui ſecus fecerint, à nobis ſeuerè punientur.

CAP. III.

PRæterea præcipimus Clericis, nè talis, teſſeris, pagellis pictis, & omnino alea, neuè vllo præterea vetito, aut indecoro ludi genere ludant, neuè illorum ſpectatores exiſtãt, neuè in eorum domibus ludere permittant. Ad hæc ne pila quidem palmaria, aut quæ malleis præpellitur, aut globo ligneo, aut eius generis alio, qui manibus ad metam iacitur, in locis publicis, aut propoſita pecunia, ludum exerceant. Qui aduerſus hanc ordinationem fecerit, arbitrio noſtro ſeuerè punietur.

CAP. IIII.

MAximè alienum, & ab officio Sacerdotali extraneum videtur, vt qui Dei ſeruitio ſe addixerint, quicquid temporis in Dei laudes expendere debent, id in ſectandis feris otiosè conterant, & quod ex patrimonio Chriſti ſupereſt, pauperibus ſubtrahant, & in alendos canes, aut accipites inutiliter profundant. Quare Clericos canes, accipites, aut vllum aliud venaticum animal ad uenandum alere, vllumuè genus venationis, quod ſacris obuiat

obuiat Canonibus, obire prohibemus. Qui aduerſus hanc noſtram conſtitutionem venerit, pœna carceris, & pecuniaria, in vſus pios applicanda, arbitrio noſtro mulctetur.

CAP. V.

NE Clericis objiciatur, quod aduerſus nonnullos ſectatores ſæculi merito objici videtur, quorum Deus věter eſt, & vt etiam tranquilliori mente, & animi ſecuritate Deo famulatum præſtent, præcipimus, nè compotationes illas exerceant, quibus conuiuantes ad æquales, vt verbis antiqui Canonis vtamur, vini hauſtus ſe obligant. Illas omnino fugiant, & deteſtentur, vt rem, quæ maximam turpitudinem, & maculam honeſtati Clericali inferat. Abſtineant præterea à commeſſationibus, & minus honeſtis conuiuijs, præſertim quæ cum mulieribus etiam honeſtis fiunt, illiſq. nec inſeruiant, neuè ſpectatores adſint. Sæpe namque in ijs callidus hoſtis latenter circumit, & occultas inſidias molitur. Qui ſecus fecerit arbitrio noſtro punietur.

CAP. VI.

IVxta ſacrorum Canonum ſtatuta, Clerici ab omni genere negotiationis abſtinere debent,

bent, vt quippe cum à ſordidis, & vilioribus ſeculi rebus, in altiorem ſublati locum, Dei contemplationi,atque obſequio aſſiduè atten ti eſſe debeant, ad vitæ prioris contemptibilem ſtatum eos redire dedecet. Mercaturam itaque, atque omne genus negotiationis eis interdicimus, præcipimusq. nè in rebus contrahendis mediatores, vel interpretes ſe exhibeant, & proxenetarum more operas ſuas adhibeant; neuè laicorum ſeruitijs ſe emancipent,neque illorum,aut communitatum nego tia procurent, niſi cauſſa id poſtulet à Sacerdotali officio non aliena.Qui in aliquo ſupradictorum deliquerint,carceris, & alijs pœnis arbitrio noſtro punientur.

CAP. VII.

CVm iuxta Apoſtoli doctrinam,nemo militans Deo, negotijs ſe implicet ſecularibus,& res plena ſcandali,atque periculi ſit,vt quis fida,ac tuta Dei ſeruitijs emancipatæ vitæ ſtatione relicta, ſeculi fluctibus ſe immergat;ſtatuimus nè Clerici procurationis,aduocationis,patrocinij, tabellionatus, & notariatus officio fungantur. Actiones, aut cauſſas quaſcunque, exceptis cauſſis à iure permiſſis, apud Iudicem ſecularem nè agant, neq; procurent,nec patrocinentur: nec ad illius tribu-

nalia abſque noſtra licentia accedant: querelam criminalem, etiam ſi ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequantur, aut teſtimonium in ſcriptis non deponant, etiam ſi ciuilis cauſſa fuerit, niſi prius à nobis vel Vicario noſtro licentiam obtinuerint. Porrò tutelas & curas, exceptis tutela & cura propinquorum, quas etiam eis agere non permittimus, niſi à nobis licentia obtenta, ne agant.

C A P. VIII.

ATque vt vndecunque Clericalis honeſtas, integra & illibata ſeruetur, mandamus, nè Clerici cauponas & tabernas exerceant, neuè illas ingrediantur, niſi longioris itineris gratia. Neuè uinum ipſi vendant, aut alias ſordidas merces, vllumuè ſordidum lucrum faciant, cum ab eis eorum dignitas deturpetur.

C A P. IX.

MAgna occaſio, vt ſæpe experientia compertum eſt, non ſolum patrandi criminum, ſed etiam gignendi ſcandala, rixas, & iurgia oriri ſolet tum Clericis ipſis, tum etiam laicis à Clericorum otioſa, & vana commoratione in plateis, & locis profanis; cum eorum

 vita

vita in diuinis lectionibus, & gratis Deo laudibus perſoluendis, ac in ſacris ædibus verſari debeat. Quocirca ſtrictè præcipimus, nè Clerici in publica platea, apothecis, & officinis aromatariorum abſque neceſſaria, & honeſta cauſſa maneant, neuè in ſedilibus ad ædes Gubernatoris huius Ciuitatis, & apud Eccleſiam ſancti Franciſci, & quæ in tota illa via, qua vſque ad foueam itur, & ad portam, quæ dicitur delo ponte, poſita ſunt, ſedeant aut maneant, neuè in locis, vbi mulieres lauant, vel aquam emunt, commorentur. Qui ſecus fecerint, pœna carceris, & alijs à nobis ſeuerè punientur.

CAP. X.

CVm vehementer contra ſe ſuſpitionem excitet, qui noctu ambulat, prohibemus, nè Clerici tam Ciuitatis, quàm Diœceſis noſtræ eant per ciuitatem, vel per oppida, pòſt ſecundam noctis horam, & ſi id ob aliquam legitimam cauſſam eis facere neceſſe erit, nè abſque lumine incedant.

CAP. XI.

CVm Clericos orationibus armari oportet exemplo Chriſti, ſupra cæteros omnes

terrenos Imperatores inuicti, & ſanctorum omnium, qui fortiſſimo orationis pręſidio muniti, ſeueriſſimos hoſtes ſine armis, ſine ſcutis, atque galeis euerterunt. Iuxta ſanctorum Patrum inſtituta armorũ eis interdicimus vſum, adeo quòd eis nullum armorum genus abſq; noſtra licentia geſtare liceat, etiam illorum, quæ defenſiua, atq; offenſiua dicuntur, etiam ſi per loca non tuta eis ire contigerit, ſub pœna ducatorum centum.

CAP. XII.

QVoniam ad Clericos potiſſimum ſpectat, quod dictum eſt, Chriſti bonus odor ſumus, cauere debent, nè ſi intus perprudẽter, pieq. cogitata, & foris etiam per eorum recta facta atque opera, Deo ſe gratos fecerint, per inhoneſtam deinde cohabitationem malè olere videantur. Itaque, nè ex alicuius commercio, & contubernio eorum opinio lędatur, ſtatuimus, nè Clerici cum mulieribus in vna domo cohabitent, exceptis ijs dumtaxat, quæ intra primum gradum conſanguinitatis, & affinitatis coniunguntur. Qui ſecus fecerit à nobis iuxta diſpoſitionem Canonum, & alijs pœnis noſtro arbitrio corrigentur.

De

De cura animarum Dignitati Theſaurariatus annexa. C A P. I.

PArochialis Eccleſia aut curata, Cathedrali noſtra excepta, nulla alia in hac ciuitate extat, quæ eſt Parochia communis omnibus. Ac quoniam in noſtra prima viſitatione repe- rimus, adminiſtrationem Sacramentorum, atque curam animarum promiſcuam eſſe omnibus, nullumq. certum, & peculiarem, cui ſigillatim ac peculiariter cura incumberet, ſed ferè omnibus pro adminiſtratione Sacramentorum, ac aliorum ſpiritualium neceſſitate ad Theſaurarium, aut Sacriſtam occurrebatur; operæ pretium iudicauimus, vt oues propriũ Paſtorem agnoſcerent, Sacramentorum adminiſtrarionem, & curam animarum ad dignitatem Theſaurariatus pertinere; illiq. ſi opus eſſet, de nouo anneximus, & vniuimus.

Congreg Concilij ce hoc decret non eſſe exe dum, niſi trã tio hæc, & v curæ fuerit cta cum con ſu Capituli.

Quamobrem hoc etiam in loco non alienum eſſe cenſuimus, decretum declarationis, & vnionis prædictæ confirmare, ac de nouo ſtatuere, prout in hac præſenti conſtitutione declaramus, ac decernimus, adminiſtrationem Sacramentorum, & curam animarum, & quicquid ad officium Parochi pertinet, annexum eſſe, & vnitum Dignitati Theſaurariatus cum iuribus, prærogatiuis, præeminen-

tijs,emolumentis,ac omnibus alijs de iure,vel ex laudabili cóſuetudine,hactenus obſeruata ad munus ,& officium Parochi pertinentibus.

De Parochis. C A P. I.

PArochis mandamus, vt, iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini,omnibus Domi nicis, feſtisq. diebus Catechiſmum ex eodem Concilio editum in ſuis Parochialibus Eccleſijs inter miſſarum ſolemnia populo explicent.Quòd ſi facultas deerit eis illum expli candi, munusq̃. illud obeundi, illum ſaltem vernacula lingua conuerſum per quartam par tem horæ è libro legant, vt populus Chriſtianus eo modo fidei myſterijs inſtruatur.Qui verò à Domino ampliori gratia,atque eo munere digni facti ſunt, vt Sacrum Euangelium interpretari poſſint, Catechiſmi explanationem in tempus aliud magis oportunum referant, & ipſi tunc in Diuini verbi prædicationem ex eiuſdem Tridentini Concilij decreto incumbant.Et quoniam plerumque euenit,vt pueri res ad ſalutem neceſſarias non addiſcant; mandamus, vt ipſi Parochi Dominicis, feſtisq. diebus veſperi, campanæ ſonitu,pueros ad Eccleſiam conuocent, ibique per horam & dimidiam pueris prima fidei erudimenta ac Chriſtianam doctrinam tradant, nè eis obijci poſſit;Paruuli petierunt panem,&

non

non erat; qui frangeret eis. Parochi quoties hoc officium deſerent, præter peccatum, quinquaginta libris ceræ mulctentur.

C A P. II.

QVæ à nobis adhuc de Clericorum vita, & honeſtate tradita, atque decreta ſunt, ita omnibus propoſita eſſe voluimus, vt eorum obſeruatio Parochos præcipuè tangat, quippe qui vti iudices, & paſtores debeant populo non doctrina ſolum, ſed vitæ etiam exemplo uiam ſalutis demonſtrare. Igitur quibuſcunque negotijs ſecularibus minimè neceſſarijs abſtineant, vt tutela, cura, teſtamentorum executione, atque huius generis alijs, quæ ſibi impedimento eſſe poſſint, quo minus ea, quæ officij ſui ſunt, expeditè exequantur, illud in memoriam reuocantes, curam animarum totum hominem requirere, ac artem eſſe omnium difficillimam, ac propterea à Diuo Gregorio artem artium appellari.

C A P. III.

PAſtores animarum, vt Chriſti miniſtri digni eſſe videantur, doctrina inſtructos eſſe oportet, prudentia præterea, atque honeſta, & probata vita præditos. Vt autem doctrinam aſſequantur, in ſtudijs verſari opus eſt. Caueant, nè externis occupationibus, etiam ſi

piæ ſint,ita diſtrahantur, vt aliquod temporis eis non ſuperſit, quod ſaltem ad ſtudium caſuum conſcientię conferant,cuius quidem ſtudij maximè omnium indigent; cum doctrina vitæ quoque bonitatem,puritatemq. coniungant, ſeſeq. cum Chriſto procurantes, quoad fieri poteſt, conn ectere atque vnire. Itaque non ſolum Dominicis & feſtis diebus, vt reliqui Sacerdotes alij, ſed etiam ter ſaltem in hebdomada Miſſam celebrent,vt in dies vberiori copia gratiæ aucti efficacius aliorum ſalutem procurare poſſint.Prudentiam verò, ac ſapientiam precibus aſſiduis à Deo impetrēt, cum ſcriptum ſit:Qui indiget ſapientia,poſtulet à Deo. Verumtamen ſi quod eis dubium oriatur, in ijs præſertim, quæ confeſſionis eſſe videantur, faciles ad deliberandum, atque prçcipites minimè ſint, ſed peritiores conſulant, vt omnem occaſionem errandi fugiant.

C A P. IIII.

PArochi ſi quos in eorum Parochia eſſe cognouerint,qui Dominicis,& feſtis diebus Miſſam audire non ſoleant, prius eos admoneant. Qui ſi poſtea ſe non emendauerint eos ad nos deferent, vt oportuniori remedio ſubuenire valeamus.

Abuſum

CAP. V.

ABuſum tollentes deferendi domum cereos in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis ex veteri Eccleſiæ inſtituto dari ſolitos, vt, qui ſolemni proceſſioni præſto ſunt, eos accenſos deferant, quibus ſinceritas Beatæ Mariæ Virginis demonſtratur, quæ lucem edidit, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cum iam in proceſſione non deferant, cumq. incuria rectorum, & auaritia, & factu quodam Parochianorum eo res deducta ſit, vt quaſi tributum eos velint ſibi tradi, domumq. deferant, præcipimus omnibus quibuſcunque, nè de cætero eos per domos diſtribuant, aut mittant, ſed in Eccleſia ijs tradant, qui ſolẽni Proceſſioni dũtaxat intererunt, & in ea accenſos deferẽt.

CAP. VI.

DE Parochia non diſcedant, niſi à nobis, vel Vicario noſtro licentia obtenta; atq; tunc quidem ſtatuimus, vt aliquem loco ſui relinquant idoneum; qui vices illorum in adminiſtratione Sacramentorum rectè ſuppleat. Siquis contra fecerit, pœna centum librarum ceræ punietur.

Mores

C A P. VII.

MOres,ac vitam ſibi ſubditorum diligenter curent, atque obſeruent, præſto ſint ad fraternam correctionem, iuxta præceptũ Domini faciendam ijs,qui deliquerint,ſed publicis potiſſimum peccatoribus, vt concubinarijs,vſurarijs,& huius generis alijs,quos nobis deferent,quum primum incorrigibiles eſſe cognouerint.

C A P. VIII.

PArochi tanquam boni paſtores numerum ſuarum ouium ſuæ cuſtodiæ commiſſarũ habeant,easq. nominatim agnoſcant, librum faciant, in quo nomina, & cognomina ſuorum Parochianorum deſcribant,& eos ſibi ſignent, qui ſacrum Chriſma ſuſceperint; qui matrimonio coniuncti ſint, qui habiles ad confeſſionem, & communionem exiſtant. Id autem exequi debebunt iuxta formam à nobis infra tradendam.

C A P. IX.

PArochis ea peculiaris cura erit, vt ſciant, num in eorum Parochia aliqua puella ſit, quæ

quæ vel ob paupertatem, vel turpem matris vitam in periculo ſit, vt virginitatem amittat. Quòd ſi aliquam in eo ſtatu eſſe cognouerint, Epiſcopo ſignificent, vt is tamquam communis omnium pater huic rei remedium afferre poſſit.

C A P. X.

MOrtuos in ſuis Eccleſijs humari non ſinant, niſi eorum teſtamenta ſibi iuſſerint afferri, viderintq. an aliqua legata pia relicta fuerint. De quibus legatis nos, vel Vicarium noſtrum certiores faciant ſub pœna librarum centum ceræ.

C A P. XI.

ET quoniam neceſſarium eſt, cum propter obedientiam, à Capitulo, & à Curatis, & Parochis præſtandam, tum etiam ipſi Parochi & alij curam animarum habentes, ſæpe à nobis admoneantur de recta, & diligenti adminiſtratione Sacramentorum, ipſiq. etiam nobiſcum aliquando conferant, quæ ad eorum officium pertinent, ſtatuimus, vt in poſterum perpetuis futuris temporibus in primis Veſperis feſti aſſumptionis Beatæ Mariæ ſemper virginis coram nobis, vel Vicario noſtro Dignitates,

tes, Canonicatus, aut Perſonatus in noſtra Cathedrali Eccleſia obtinentes, necnon Archipresbyteri, Parochi, ac alij curam animarum habentes tam ciuitatis, quàm Diœceſis comparere teneantur per ſeipſos, vel per alium, ſi legitime impediti fuerint. Qui ſecus fecerit, arbitrio noſtro punietur.

FORMA LIBRORVM à Parocho conficiendorum.

In libro Baptizatorum ſeruetur forma infraſcripta.

Die N. Menſis N. Anni N. Baptizatus fuit à me N. Curato Parochialis Eccleſiæ N. filius, vel filia N. & N. coniugum, natus, vel nata die N. & ei fuit impoſitum nomen Franciſci, vel Antonij, aut alias. Compatres, qui illum ſuſceperunt de fonte baptiſmatis fuerunt N. & N. vxor N.

In libro Confirmatorum ſeruetur forma infraſcripta.

Die N. Menſis N. Anni N. Confirmatus eſt filius N. & N. per Illuſtriſſimum Dominum N. Epiſcopum, in Eccleſia Sancti N. eius patrinus fuit N.

In mulieribus verò tam ſuſcipientibus, quàm ſuſceptis, ſi nuptæ fuerint, præter nomina, & cognomina propria, addantur etiam nomina, & cognomina virorum.

In libro Matrimoniorum deſcribantur nomina contrahentium in hunc modum.

DIe N. Menſis N. Anni N. N. filius N. contraxit matrimonium per verba de præſenti cum N. filia N. præſente me N. Curato Parochialis Eccleſiæ ſancti N.

Et præſentibus N. & N. teſtibus, & alijs multis, præmiſſis iam tribus, (ſeu duabus, aut vna prout conceſſerimus) ſolitis inter Miſſarum ſolemnia denunciationibus, ac monitionibus, quarum prima facta eſt die N. Menſis N. Anni N. qui fuit dies Dominicus: altera die N. Menſis N. qui fuit feſtus N. Tertia verò die N. Menſis N. etiam feſto, ac nullo inter ipſos impedimento comperto, quo minus liberè poſſent celebrare.

In libro morientium deſcribantur morientes hoc modo.

DIe N. Menſis N. Anni N. Mortuus eſt N. ſepultus in Eccleſia ſancti N. Parochiali, vel alia N. fecit teſtamentum manu N. & fecit

cit nonnulla legata pia, prout in dicto teſtamento continetur.

Si non fecerit teſtamentum, dicatur, deceſſit inteſtatus.

In libro Animarum deſcribantur familiæ cuiuſcunque Parochiæ hoc modo.

N. Pater familias annorum N.
N. Eius vxor N. annorum N.
N. Filia, ſeu filius annorum N.
N. Et ſic ſinguli filij cum deſcriptione annorum.
N. Filius N. annorum N.
N. Ancilla N. annorum N.
Et ita deſcribentur omnes cuiuſcunque familiæ. Ab vna ad alteram familiam interiectum ſit ſpatium, vt poſſint addi alij aduenientes.
Qui morientur tranſuerſa linea adnotentur cum cruce.

De Examinatoribus. CAP. I.

VT iuxta Decretum Concilij Tridentini quotannis in Diœceſana Synodo examinatores eligantur, qui examinare, & approbare valeant, vacanti Eccleſiæ Parochiali præficiendos, viſum eſt ex totius Synodi conſenſu ad

ad id munus eligere RR. Camillum Petrarolum Canonicum, & ad præſens noſtrum Vicarium generalem: Ioannem Cariſſimum, Cantorem: D. Antonium Triarium Theſaurarium, Leonardum Clementem Canonicum: Leonardum Ciminum Canonicum Aſtuneēſes. P. fratrem Rufinum de Criptaleis ordinis fratrum Minorum de obſeruantia, qui præſenti Decreto eliguntur, & deputantur; accedente conſenſu dictæ Synodi.

C A P. II.

EXaminatorum autem officium erit de mādato Epiſcopi examinare, qui beneficio curato præponi voluerit, an ſufficientem doctrinam habeat, ad illud beneficium requiſitam. Primum itaque ei Euangelium, vel quemcunque alium librum latinum proponent ad explanandum, vt intelligant, an benè ſit grammatica instructus: deinde inquirent, an Sacramentorum definitiones, materias, formas, miniſtros, effectus, atque vtilitates cognitas habeant. Sigillatim præterea, diligenter inquirēt ea, quæ ad confeſſionem pertinent, præſertim ſi rectè formam abſolutionis ſciat, & bene paratus accedat à caſibus conſcientiæ, maximè autem à rebus, quæ ad reſtitutionem, & Eccleſiaſticas cenſuras pertinent, quarum rerum

vſus,

vſus, quoniam frequentior eſt, ac vſitatior, propterea eſt curato ſcitu magis neceſſarius.

C A P. III.

SCiant etiã examinatores ex Decreto eiuſdem Tridentini Concilij, ſibi prohibitum eſſe, nè occaſione huius examinis ante, vel poſt, vllum cuiuſuis muneris pretij aut mercedis genus accipiant, etiam à ſponte dantibus. Alioquin tam ipſi qui acceperint, quam qui dederint, tamquam Simoniaci abſolui non poſſint, niſi beneficia dimiſerint, etiam illa, quæ antea poſſidebant. Inſuper à nobis etiam pro qualitate delicti, alijs pœnis punientur.

C A P. IIII.

DEmum Examinatores quacunque humana affectione poſtpoſita fideliter munus exequantur. Ac meminiſſe debent, ſe non ſolum graue peccatum commiſſuros eſſe, quoties indignum approbabunt, ſed ad reſtitutionem damni obligatum iri, quod Eccleſia patietur ſub regimine miniſtri inhabilis, atque indigni ab eis approbati.

De

De Canonicatibus, Dignitatibus, & Perſonatibus Eccleſiæ Cathedralis.

C A P. I.

QVi deinceps ad Canonicatum, Dignitatē, & perſonatū in noſtra Cathedrali Eccleſia promoti fuerint, ſi ſacris Ordinibus ini tiati non fuerint, intra annum eo Ordine initientur, quem Dignitas, Perſonatus, aut Canonicatus huiuſmodi requirit, alioquin iuxta diſpoſitionem Canonum contra eos procedetur & niſi ſaltem ſubdiaconatus Ordine initiati fuerint, vocem in Capitulo non habeant.

C A P. II.

CVm autem in ſuis hebdomadis Miſſam, aut Euangelium, aut Epiſtolam canere ex inſtituto cuique præſcripto debebunt, per ſeipſos, non autem per ſubſtitutos ea munia obire teneantur, niſi ex urgenti cauſſa à nobis licentiam obtinuerint. Qui ſecus fecerit, pro qualibet vice pœna librarum ceræ decem punietur.

De Diuinis Officijs. CAP. I.

FIdelis populus, vt magis ad pietatem, & Dei amorem inflammetur, & beneficia in eum diuinitus collata ſempiterna memoria cuſtodiret, pia mater Eccleſia Spiritu ſancto afflata, inſtituit, vt in templis Diuinæ illius Maieſtati dicatis, quò fideles omnes, veluti ad quamdam communem domum congregari conſuetum eſt, publicæ preces, publicæ oratio nes, ac publici diuini cultus exiſterent, ſtatisq; horis diuina officia, quotidie à proprijs, & Deo dicatis miniſtris recitarentur, ad imitationem Prophetæ illius, qui, vt ipſe de ſe ipſo dicit, ſepties in die laudem Domino decantabat. Quod quidem pium, atque Diuinum inſtitutum, non ſacræ ſolum hiſtoriæ, verum etiã profanæ præclara teſtimonia tribuunt, quanta cum diligentia fuerit, quantoq. animi feruore iam inde ab ipſa naſcente Eccleſia aſſiduè frequentatum, ſanctéq. conſeruatum. Hortamur itaque Clericos omnes huius noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, quibus cura eſt in Choro diuina officia recitare, vt iuxta commendabilem ipſius Eccleſiæ conſuetudinem, hactenus obſeruatam in hoc maximè, & ſummè vtile opus pio ardentique ſtudio incumbant, cum ſcriptum ſit; Maledictus homo, qui opus Dei facit negligenter.

CAP. II.

OMnes in Choro ſilentium ſeruent, nullo modo nugentur, aut iocentur, vana, ac profana colloquia nè agant, ſed ſiquid neceſſariò de re aliqua loquendum erit, dimiſſa voce, paucisq. verbis loquantur, omnes ea, qua decet reuerentia, animi feruore, grauitate, & deuotione diuinis officijs intendant, diſtinctè, attentè, & debita pauſa legant, aut pſallant, ſedulò penſum ſeruitutis ſuæ perſoluant, per ſeipſos canendo, Dei nomen, & laudes, piè, reuerenterq. laudando, Voluntarias mentis errationes, vagationesq. effugiant. Nam ſcire eos oportet, non ſatis illum ſuo muneri facere, qui dum ore Deum laudat, voluntariè huc, illuc mente, & cogitatione pererrat, & vagatur. Quinimmo animaduerſione dignus erit, nō ſecus ac ij, aduerſus quos dictum eſt; Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

CAP. III.

IN choro dum Diuina officia celebrantur, omnes ſuis in locis deuotè perſiſtant, in alienas ſedes, nè peruagentur, nè alius alterius locum occupet, & ita demum iuncti conſiſtant,

ne vacuus locus interiectus relinquatur, vt inter canendum inuicem ſe audiant, & vox omnium vna eſſe videatur. Eum locum quiſque teneat, & eo ordine maneat, qui ex dignitate, & precedentia cuique debetur, & vt in tabella Clericorum deſcripti ſunt.

CAP. IIII.

IN Choro diuina officia celebrandi, aut cantandi gratia ſine ſuperpelliceo tam Dignitates, aut Canonici, quàm alij Clerici intrare nullo pacto audeant; ſed antequàm in Chorum ingrediantur, eo ſe induant.

CAP. V.

IN Choro literas, ſcripturas, aut librum cuiuſque generis ne legant. Reſponſoria, Capitula, Antiphonas, Orationes, aut lectiones, aut officium priuatim ne recitent, neuè legant, ne immoderato ſuſurro alius alij impedimentum, aut moleſtiam afferant, ſed dum illæ canuntur, omnes attentè audiant, eas ſi uoluerint, oculis in Breuiario aſpicientes, & denique in domo Domini, quàm decet ſanctitudo ſanctè verſentur, & diuinis officijs, corpore & mente

mente intendant, ac ita demum illis interſint, vt irreuerentiam omnem effugiant. Altari terga nè vertant, genua flectant, ſtent, caputque cum id faciendum erit, detegant.

C A P. VI.

A Choro autem eorum, qui Horis intereſſe tenentur, nemo diſcedat, niſi Horis, & toto officio abſoluto, excepta neceſſitate. Quæ ſi euenerit, ita diſcedat, vt tamen ſtatim ſit reuerſurus, alioquin pro abſente habeatur. Quod ſi aliqua neceſſitate cogatur, abſque noſtri Vicarij, vel eo abſente Chori pręfecti licentia, nemini diſcedere liceat.

C A P. VII.

Diuina officia recitentur iuxta conſuetudinem, & ritus Eccleſiæ Romanæ, & iuxta præſcriptum Calendarij noui. Ac nè in ea re aliquid erretur, præcipimus in Choro teneri ordinarium Romæ impreſſum.

C A P. VIII.

MAndamus Cantori, Subcantori, & Hebdomadario, ad quos iuxta conſuetudinem hoc pertinere dignoſcitur, & per Diœce-

ſim omnibus, quibus quoquomodo illud incumbat, vt quilibet ipſorum, ad quem diebus ſtatutis, ex officio ordinatio, & moderatio Chori, & officij pertinebit, antè quàm Diuina officia incohentur, inueniat, pręparet, & diſponat, quæ in officio illius diei recitanda, canendauè erunt, & lectiones, reſponſoria, verſus, & id genus alia, diſtribuat illis, qui ea lecturi, cantaturiuè erunt, vt prius ea perlegant; nè illis inueniendis, aut priuatim perlegendis tempus conteratur; aut ex eo, quod malè canant, aut perperam legant, quod ſæpe accidit, audientibus ſcandalum generetur.

CAP. IX.

PRæcipimus obſeruari laudabilem, & antiquum huius noſtræ Cathedralis Eccleſiæ conſuetudinem, vt in Choro officium paruũ Beatæ Mariæ Virginis recitetur ijs diebus, quibus conſuetum eſt, vel ex præcepto Breuiarij noui, aut Calendarij Romani debetur.

CAP. X.

TEmpore Quadrageſimæ ſingulis ſextis Ferijs ſeptem pſalmos pœnitentiales, & Litanias dici iubemus, quæ in Breuiario deſcriptæ ſunt; deleto vſu recitandi Litanias alias, à

neſcio

neſcio quo compoſitas, quas in hac noſtra Eccleſia dictis diebus recitari comperimus.

C A P. XI.

PRohibemus omnibus Clericis cuiuſcunq; ordinis, nè dum diuina officia celebrãtur, per Eccleſiam vagentur, neuè in ea colloquia vana, & profana exerceant, neuè negotia ſecularia tractent; conuentus, ſeu conuenticula nè faciant, ſed diuina officia deuotè audiant, vel in Chorum ingrediantur; etiam ſi eorum hebdomada non fuerit; & vnà cum cæteris alijs, pſalmos, hymnos, & Deo laudes perſoluant. Qui ſecus fecerit, pœna librarum ceræ decem mulctetur.

C A P. XII.

SAcriſta hora ante diem, ſignum ad matutinum campana dabit, vt Diuinum officium inchoari poſſit ſaltim in Aurora. Omnes, qui Diuinis officijs operam præſtare tenentur, in Eccleſia, ſigno dato, præſto ſint. Qui præſentes in Choro non erunt ad Matutinum, & ad Veſperas, ante finem primi pſalmi; ad Miſſam, ante finem primæ Collectæ, perindè ac ſi abſentes fuiſſent, punctentur.

CAP. XIII.

PVnctator, qui à nobis ex antiquiſſima conſuetudine deputatur, in manibus noſtris, vel Vicarij noſtri iuramentum dabit, quod munus ſuum diligenter, ac fideliter exequetur qui aſſiduè in Choro aderit, & non ſolum qui ad Diuinum officium tempore ſupraſcripto non venerit, adnotabit, verum etiam eos, qui in Chorum ſine ſuperpelliceo, aut cum pileo intrabunt, aut cum alijs, dum Diuina officia dicentur, aliquo notabili temporis ſpatio colloquentur. Tales enim pro abſentibus haberi volumus.

CAP. XIV.

STatuimus, vt hebdomadarius, qui ſingulis hebdomadis Diuinum officium ordinabit Chori moderatoris, atque præfecti officium exerceat, Choroq. præſit, qui diligenter curabit, vt officium Diuinum deuotè, punctatim, & cum debita pauſa cantetur, ſiue recitetur, cui in huiuſmodi munere mandamus omnibus, vt debitam obedientiam præſtent. Quod ſi ipſe in ſuo munere deliquerit, alijſq. non præceperit, aut aliquis ei obedire neglexerit, delinquẽs pœna librarũ ceræ decẽ mulctetur.

De

De Foro Epiſcopali. CAP. I.

VT Forus Epiſcopalis verè ſpiritualis dici queat, arceantur ab eo omnis iniquitas, atque calumnia. Quamobrem Vicarius noſter curabit, quoad fieri poterit, dilationes, & ſubterfugia recidere, quæ à nonnullis parum timoratis ad defatigandos pauperes litigantes excogitantur. Hac etiam de cauſſa non permittet, vllum aduocatum, aut procuratorem lites, cauſſasq. in noſtro Tribunali agitare, patrocinariq. niſi prius iuramento præſtiterint, ſe cauſſam iniuſtam defendendam non ſuſcepturos, in ſuoq. munere nullo genere calumniæ vſuros.

CAP. II.

CVm ex Notariorum inexperientia rerum agendarum, ignorantiaque plurima damna, & multarum occaſio litium oriri ſoleat, omnibus Notarijs, etiam ſi Regia auctoritate creati ſint, præcipimus ſub pœna excommunicationis, ne contractus, ſcripturas, aut monimenta quæcunque conficiant, quæ ad Eccleſiam, aut iuriſdictionem, & forum Eccleſiaſticum pertineant, niſi prius à nobis, vel Vicario noſtro examinati, & approbati fuerint, iuxta

diſpo-

diſpoſitionem Sacri Concilij Tridentini.

C A P. III.

AD hæc Notarium, qui in Curia noſtra officio actuarij functurus eſt, decernimus non Laicum, ſed Clericū eſſe debere, vt cauſſę Clericorum magis ſecretè tractētur, &, ſiquid Notarius commiſerit, à nobis pro qualitate delicti facilius puniatur.

C A P. IIII.

CAueant Notarij noſtræ Curiæ ſub pœna excommunicationis, & alijs noſtro arbitrio reſeruatis, nè ſcripturas, teſtium de poſitiones aut aliquam aliam proceſſuum partem alicui ex partibus quæ inter ſe litigant, ſiue ciuilis cauſſa ſit, ſiue criminalis, ante publicationem factam, oſtendant aut publicent.

C A P. V.

QVum primum Notarius in Curia noſtra officium actuarij aggreditur, ſcripturas proceſſus, & monumēta quęcunque, ad ipſam Curiam pertinentia ex inuentario accipiet, & diligenter claui occluſa conſeruabit, quorum nobis, officium depoſiturus, rationem

nem reddet; nec interea ab Archiuio abſque noſtra, vel Vicarij noſtri licentia, genus vllum ſcripturarum, ac proceſſuum amouebit.

C A P. VI.

VIcarius noſter, Conſultor, & actorum Magiſter in quibuſcunque cauſſis tractandis, ſiue ciuiles, ſiue criminales erunt, ratione actorum, aut decretorum nihil aliud exigant, aut accipiant, quam quod ex publico Tribunalis noſtri inſtitato exigere, & accipere ſolent.

Feſta Tribunalis Epiſcopalis Hoſtuneenſis ſunt infraſcripta, quæ in Sacro Palatio Apoſtolico obſeruantur.

Ianuarius.

1 Circumciſio vſque ad craſtinum Epiphaniæ, excluſiue.
17 Antonius Abbas
20 Fabianus, & Sebaſtianus.
25 Conuerſio S. Pauli.

Februarius.

2 Purificatio Mariæ Virginis.

Blaſius

3 Blaſius Epiſcopus, & Martyr.
22 Cathedras Petri.
24 Matthias Apoſtolus.

Martius.

7 Thomas de Aquino.
12 Gregorius Papa.
21 Benedictus Abbas.
25 Annunciatio B. Mariæ Virg.

Aprilis.

23 Gregorius Martyr.
25 Marcus Euangeliſta.

Maius.

1 Philippus, & Iacobus Apoſtoli.
3 Inuentio S. Crucis.
6 Ioannes ante portam latinam.
8 Apparitio Michaelis.

Iunius.

2 Barnabas.
24 Ioannes Baptiſta.
29 Petrus, & Paulus.

Deuotionis.

Comme-

30 Commemoratio S. Pauli.

Iulius.

2 Viſitatio B. Mariæ Virginis.
22 Maria Magdalena.
25 Iacobus Apoſtolus.

Auguſtus.

1 Vincula Petri.
5 Feſtum Niuis.
10 Laurentius.
15 Aſſumptio Virginis.
16 Rochus confeſſor.
25 Bartholomæus Apoſtolus.
28 Auguſtinus Epiſcopus. Deuotionis.
29 Decollatio B. Ioannis.

Septembris.

8 Natiuitas Mariæ Virginis.
14 Exaltatio S. Crucis.
21 Matthæus Apoſtolus.
29 Michael Archangelus.
30 Hieronymus Presbiter.

Octobris.

4 Beatus Franciſcus Patriarcha pauperum.

Lucas

18 Lucas Euangeliſta.
28 Simon, & Iudas.

Nouembris.

1 Feſtum omnium Sanctorum.
2 Commemoratio Defunctorum.
9 Dedicatio Baſilicæ Saluatoris.
11 Martinus Epiſcopus.
18 Dedicatio Baſilicæ Petri, & Pauli.
21 Præſentatio B. Mariæ Virg.
25 Catherina virgo, & mart.
30 Andreas Apoſtolus.

Decembris.

6 Nicolaus Epiſcopus.
7 Ambroſius Epiſcopus.
8 Conceptio Beatæ Virginis.
13 Lucia virgo, & mart.
21 Thomas Apoſtolus.
24 Vigilia Natiuitatis Domini vſque ad Epiphaniam Domini.

Feſta Mobilia.

Dies Cinerum.
Dies Lunæ hebdomadæ ſanctæ vſq; ad Octauam Paſchatis.

Dies

Dies Pentecoſtes cum duobus ſequentibus.
Dies Aſcenſionis.
Dies Corporis Chriſti.
Feſta Principalia loci, vbi Curia reſidet.

De Vicarijs Foraneis. C A P. I.

VIcarij Foranei diligenter curent obſeruanda in ſuis oppidis, aut locis cætera quidem omnia, ſed in primis quæ in hoc Synodo à nobis ſtatuta ſunt. Vigilent, vt Clerici tonſuram, & talares veſtes, Clerici ordini congruentes deferant, &, quæ debent Eccleſijs obſequia, ſtudiosè præſtent: videant præterea nequis Clericorum diſſoluta, perditaq. vita proximo ſcandalum præbeat. Si quem talem eſſe compererint, nos ea de re certiores faciant, aliàs vt negligentes, officio priuabuntur.

C A P. II.

INterdum ad Ciuitatem intra annum veniant, vt præſentes Epiſcopo nuncient, quo modo res ſe habeant, vbi ipſi reſident.

C A P. III.

AC nè pauperes grauentur, & de longinquo

quo pro quauis cauſſa litigatum in hac Epiſcopali Curia Hoſtuneenſi venire cogantur, Vicarijs Foraneis facultatem concedimus in ſuis locis, ut cauſſas ciuiles ſummariè cognoſcant, & determinent, & uſque ad ſententiam incluſiue procedant: dummodo cauſſæ ipſæ ſummam non excedant ducatorum ſex.

C A P. IIII.

MAndamus Clericis quibuſcunque, etiã ſi Sacerdotes, & in Dignitate conſtituti ſint, vt Vicarios foraneos venerentur, eisq. in ijs, quæ ad eorum officium ſpectant, obtemperent, quippe cum à nobis auctoritatem habeant, & vice noſtra fungantur. Aliter inobedientes à nobis pro qualitate delicti grauiter punientur.

De Sententia Excommunicationis.

C A P. I.

QVoniam quidem ſententia excommunicationis maioris grauior pęna eſt, quàm quæuis alia, quæ fidelibus in hac vita irrogari queat, ſobriè quidem, magnaq. circumſpectione exercenda eſt, ne ex quibuſcunque rebus leuibus animæ fidelium à Communione

nione Chriſti, & ab omnibus immunitatibus ſeparentur, quibus reliqui fideles fruuntur. Itaque hac potiſſimum de cauſſa præcipimus, necui monitiones, aut ſententia excommunicationis à Tribunali noſtro concedatur ad finem reuelationis, aut damni reſtitutionis in cauſſis ciuilibus, aut criminalibus, niſi damnum reſarciendum ad ſummam decem ducatorum aſcenderit.

C A P. I I.

QVoniam quidem nonnulli peccato obcęcati in cenſuris inſordeſcũt,easq́. par ui pendunt,Parochis omnibus mandamus, vt excommunicatos omnibus Dominicis diebus inter Miſſarum ſolemnia illos publicent, qui eum per trium menſium interſtitium excommunicatione annexi, abſolutionẽ petere negligunt, vt ſaltem ſtimulo confuſionis reſipiſcant,vitę emendationem procurent, & ſe demum à vinculo excommunicationis ſtudeant eximere.

DE MONIALIBVS.

De ijs, quæ pertinent ad communem vitam, & conuerſationem Monialium.

CAP. I.

VIrgines Religioſæ Deo dicatæ, & Monaſterio adſtrictę, vti Chriſti ſponſæ in Monaſterio vitam agere profeſſæ, curare debent, vt ſe quolibet terreno affectu omnino ſpoliēt, & ſponſum earum Chriſtum induant, quod facile aſſequi poterunt, ſi ſe votorum dederint plenæ, ac perfectæ obſeruantiæ, quibus ſe Deo ligauerunt, hoc eſt, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, ac demum ſi diligenter, ſuas conſtitutiones, ac regulas ſeruabunt, quas frequenter legere ſatagent, vt earum memoriam recentem, & promptam habeant. Ad quam rem adiuuandam mandamus Abbatiſſæ, vt ſemel in hebdomada eas legendas curet in Refectorio, dum Moniales ad menſam accumbent.

CAP. II.

EXperientia cognitum eſt, quòd ob extremam paupertatē in Monaſterijs Monialium plurima inconuenientia oriuntur. Quapropter

propter huic incommodo, quoad fieri poteſt, proſpicere volentes, conſideratis redditibus Monaſterij ſancti Petri huius ciuitatis, in quo Moniales ſub inſtituto,& Regula ſancti Benedicti viuũt, ac etiam numero Monialium ipſarum, qui aſcendit ad vigintiſeptem, quiq. ex redditibus dicti Monaſterij commodè ſubſtentari non poteſt, habita etiam conſideratione anguſtiæ fabricæ loci, ex Decreto Tridentini Concilij ſtatuimus, vt deinceps non plures in dicto Monaſterio Moniales recipiãtur, quà in vigintiquinque, quem numerum in poſterum in eo conſeruandum mandamus.

C A P. III.

QVoniam ei, qui ſe voto paupertatis adſtrinxerit, abſque peccato quicquam vti proprium poſſidere non licet, præcipua nobis cura eſt, à Monaſterio Monialium depellere quicquid religioſæ paupertati obſiſtere poſſit. Quapropter Monialibus omnibus præcipimus, nè quælibet ipſarum de cætero quicquam vti proprium apud ſe, aut alios tenere, aut quouis modo poſſidere audeat.

C A P. IIII.

NVlli Sanctimonialium liceat pecuniam, aut rem vllam mutuam dare, muneraué alicui mittere,etiam ſanguine coniũctis, neué eleemoſynam, etiam ex re minima, elargiri. Nam huiuſmodi res dominium, & proprietatem oſtendunt. Quæcunque in horum aliquo delinquens fuerit,arbitrio noſtro punietur.Facultatem tamen habeat Abbatiſſa alicui Monialium ex cauſſa tamen rationabili,licentiam concedendi,vt poſſit conſanguineis,& de Monaſterio benemeritis aliquid donare, quod tamen raró,& de rebus fiat parui ſumptus.

C A P. V.

MOnialibus ſit menſa,cibusq. communis, nec cuiquam ipſarum liceat,aut in cella, aut alibi extra Refectorium, ſeorſum ab alijs comedere abſque neceſſitatis cauſſa.

C A P. VI.

QVoniam veró nulli poſſidere quicquam vti proprium licet,abſque licentia ſuperioris, atque permiſſu, cum vſus dumtaxat eis cõceſſus ſit, non autem proprie-

tas

tas, iubemus, nè cellas, ſiue cameras claui occluſas habeant, præterquam Abbatiſſa, & cæteræ officiales, quæ Monaſterij bona adminiſtrabunt.

CAP. VII.

MAndamus, nè Abbatiſſa aliquam in Monaſterium recipiat abſque noſtra licenria, ſcripto obtenta, quæ minimè concedetur, niſi, quæ habitum Religionis ſuſceptura ſit, à nobis, vel Vicario noſtro prius fuerit diligenter examinata, & ætatis ſit ſaltem annorum duodecim.

CAP. VIII.

SAepe intra annum Monialium cellæ, atque arcæ diligenter inquirantur, num earum aliqua vllum teneat proprium, præſertim annulos, aut id genus alia auri, vel argenti: & ſi qua in aliquo deliquiſſe comperta fuerit, publica ei pro delicti qualitate pœnitentia iniungatur, vt reliquæ illius exemplo corrigantur.

CAP. IX.

OMnes Moniales ſingulis diebus deuotè Miſſam audiant, Horis Canonicis inter-

ſint, niſi infirmitatis, aut alterius neceſſitatis cauſſa impediantur. In Choro omnes adſint, dum diuina officia recitantur, colloquia deuitent, ſimulq. cum alijs reuerenter, & deuotè recitent. Quæ Moniales in Choro eo tempore profana colloquia reperientur agere, eas in conſpectu aliarum Abbatiſſa iubeat genibus flexas in medio Choro, quoad ei viſum fuerit, manere.

C A P. X.

SIngulis Monialibus iubemus, vt quàm primum campanæ ſignum conuocādi ad menſam audierint, ſtatim relictis negotijs minimè neceſſarijs oportunè præſto ſint ad menſam, vt omnes pariter benedictionem faciāt. Quæcunque ad benedictionem non adfuerit, in medio Refectorio tamdiu genuflexa permaneat, quouſque ei ſurgendi ſignum ab Abbatiſſa; vel ea abſente, ab antiquiori officiali datum fuerit.

C A P. XI.

EArum nemini permittimus, vt altera cum altera in vno lecto dormiat, ſed ſemper ſolæ cubitent. Sero autem dato ſigno, ſtatim omnes cubitum eant. Ac Abbatiſſa, vel ſi id exequi

qui ipſa non poterit, ex officialibus ea, cui Abbatiſſa mandauerit, paulumpoſt ſignum datum prouiſet, an omnes dormitum ierint, & ſuo quæque in lecto cubauerit.

CAP. XII.

QVælibet puella habitum Religionis ſuſceptura, & Monaſterium ingreſſura, regulam prius, leges, & Religionis inſtituta doceatur, ac onus etiam ei demonſtretur, quod in Religione ferendum erit, nè vllus ei relinquatur locus expoſtulādi, quòd inſcia, imprudensque ad Religionem acceſſerit.

CAP. XIII.

SI quæ res, Monialium induſtria, & arte laborandæ, conficiendęq. in Monaſterium afferentur, de ſcientia Abbatiſſæ, quęcunque illa fuerint, ei liceat accipere, cui efficienda, laborandaq. allata fuerint, pretiumq. eius operis ex permiſſu Superioris in neceſſitatibus illius, quæ opus confecerit, attenta Monaſterij paupertate, poſſit adhiberi.

C A P. XIV.

PRohibemus Monialibus omnibus, nè in cella calamos, atramentarium, neuè aliud ſcribendi inſtrumentum teneant. Quod ſi neceſſitas vrgebit, ab Abbatiſſa mutuum illud accipiāt, quod deinde, vbi illo vſæ fuerint, ſtatim Abbatiſſæ reſtituant.

C A P. XV.

POrrò Monialis vnguentis, ſiue fucis, ceruſſa, pigmentis, & huius generis alijs, quæ mulieres ad venuſtandam faciem adhibent, nè vtantur. Catellos nè alant, neuè in Monaſterio retineāt. Virgines enim Religioſas, ac Deo dicatas eiuſmodi delicijs omnino decet abſtinere. Quę Monialis vllum ſupradictorum apud ſe retinere auſa fuerit, ſeuerè arbitrio noſtro puniatur.

C A P. XVI.

OMnino lites, rixæ, iurgia, & contentiones inter Moniales nec audiā tur. Nihil enim caritati, & Religioſę fraternitati, quàm controuerſia, atque diſſenſio, magis aduerſatur. Quęcunque in hoc deliquerit, in publico,

dum

dum Capitulum fiet, diſciplina ſe verberabit.

CAP. XVII.

POenitentias, quæ cuique à ſuis ſuperioribus pro criminis admiſſi qualitate irrogantur, libenti animo accipiant, imò interdum Moniales ipſæ ſua ſponte ſibi à ſuperioribus illas iniungi petant, vt huiuſmodi actibus humilitatis idoniores ad vberiorem copiam gratię accipiendam à Chriſto earum ſponſo in dies reddantur. Si qua Monialis pœnitentijs imponendis aduerſa, repugnanſuè fuerit, ſtatim Abbatiſſa nobis, vel Vicario noſtro renunciare curabit, vt huiuſmodi contumax, atque inobediens, ad exemplum aliarum, corrigatur.

CAP. XVIII.

AD emittendam verò profeſſionem nulla admittatur, quę decimumſextum ætatis annum, iuxta ſacrum Tridentinum Concilium, non expleuerit, & quæ minori tempore, quàm per annum, poſt habitus ſuſceptionem in probatione ſteterit, aliàs profeſſio facta ex Cōc. Trid. nulla erit. Tēpore verò profeſſionis faciendæ Abbatiſſa nos, vel Vicarium noſtrū per menſem antea certiorem faciat, vt quæ

Monia-

Monialis profeſſionem emiſſura ſit, diligenter examinari, illiusq. mens, & animus explorari queat, & quæ in ea regula obſeruanda erunt, ei proponantur, vt intelligat, quibus ſe votis, & quàm grauibus obſtringat. Abbatiſſa ſi in hoc delinquerit, ab officio, quamdiu nobis viſum fuerit, ſuſpenſa erit. Examen autem, quo voluntas illius exploratur, quæ ad profeſſionem erit admittenda, extra ſepta Monaſterij fiat, vt liberè ſuam voluntatem declarandi facultatem habeat. Præterea mandamus, vt expleto probationis anno, poſt menſem ſtatim, ſi ætatem legitimam habeant, profeſſionem faciant, quòd ſi eam præſtare recuſauerint, è Monaſterio expellantur.

De Eligenda Abbatiſſa, & Officialibus Monaſterij.

C A P. I.

QVæ in Abbatiſſam erit eligenda, non aſſumatur, quæ minorem habeat ætatẽ quadraginta annis, & quæ in Monaſterio poſt profeſſionem octo annis laudabiliter, honeſteq. non vixerit, aliasuè iuxta diſpoſitionem ſacri Concilij Tridentini.

CAP. II.

IN electione Abbatiſſæ, ac aliarum Præfectarum, ſiue officialium quarumcunque, obſeruetur ſacrum Concilium Tridentinum, vt omnes Superiores omnino per vota ſecreta eligantur, ita vt ſingularum eligentium nomina numquam publicentur. Sic enim omnia rectè & ſine fraude fient. Si verò contra ſupradicti Concilij decretum, & præſentem conſtitutionem aliqua electa fuerit, electio irrita ſit. Electio præterea Abbatiſſæ nulla ſit, niſi in eam numerus eligentium, qui dimidiam partem excedat, non conſenſerit. Tempus autem officij Abbatiſſæ, vltra triennium, volumus non poſſe prorogari, quo elapſo, ſtatuimus ipſam Abbatiſſam non poſſe in aliud triennium, iuxta conſtitutionem Gregorij XIII. eligi, aut confirmari, niſi alterum triennium elapſum non fuerit.

CAP. III.

COgitet accuratè Abbatiſſa, in eo ſibi præcipuam curam eſſe adhibendam, vt à Monialibus earum regula, leges, & inſtituta ſeruentur. Quamobrem ei quoque, quoad fieri poteſt, maiori ſtudio ad eorum obſeruantiam eniten-

enitendum erit. Prima omnium in Choro ade rit, frequentius ad orationem euigilabit, Moniales omnes, factione, & acceptione perſonarum excluſis, filiarum loco habebit, & tamquã pia mater earum magna cum caritate curam geret, ac etiam conabitur, nè ſibi maior cum vna, quàm cum alia familiaritas intercedere videatur. Ita enim in Monaſterio concordia, vnioq. ſeruabitur. Demum eo modo vitam agat, vt ſuo exemplo cæteras inflãmmet ad maiorem in dies perfectionem acquirendam.

CAP. IIII.

SIngulis ſextis Ferijs cuiuslibet hebdomadæ, abſoluto Completorio, ac dato ſigno campanæ, Capitulum conuocabitur, ad quod Sanctimoniales omnes, etiam Nouitiæ, atque conuerſæ congregentur, niſi quæ legitimè impedita fuerit, quibus præſentibus, liber aliquis ſpiritualis, ſpatio quartæ partis vnius horæ legetur, poſt cuius lectionem Abbatiſſa publicè eas corriget, quas in Monaſterio exceſſum aliquem admiſiſſe cognouerit, præſertim in ijs, quæ ad earum officium pertinebunt. Cuius quidem exceſſus ipſæmet coram reliquis Monialibus ſe accuſabunt, illiusq. ſe reas eſſe, genibusflexæ fatebuntur. Quibus deinde pœnitentiam imponet, quæ ſibi videbitur. Ab-

batiſſa verò quoties in hoc defecerit, per menſem ab officio ſuſpenſa ſit.

C A P. V.

ADmonentur omnes, vt ſuæ Pręfectę vocis audiẽtes ſint perinde, ac ſi Ieſu Chriſti voci obediant, memores illius; Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit me ſpernit. Itaq. ſi qua Monialis Diabolico inſtinctu ducta, ſuperbè replicare, aduerſariq. audebit Abbatiſſę cum ei aliquid imperandum duxerit, ſe nolle obtemperare indicãs, velo priuata ſit, quàm diu ipſi Abbatiſſæ viſum fuerit.

C A P. VI.

DVæ Moniales quolibet triennio eligantur, quæ Diſcretæ nuncupentur, quæ ſint prudentes, prouectæ ætatis, & probatæ vitæ, ſine quarum, atque Vicariæ conſilio Abbatiſſa in arduis negotijs per ſe nihil agere valeat, quibus diſcretis illa cura, atque officium erit, vt cum ijs Monialibus ſemper adſint, quibus neceſſario vel in Rota, vel in cancellorum feneſtella cum alijs de foris colloquendum erit. Itaque nulli Monialium liceat, ſolam abſque Diſcretarum præſentia & interuentu, ſub

pœna

pœna excommunicationis, cum aliquo colloqui, exceptis coniunctis in primo conſanguinitatis,& affinitatis gradu.

CAP. VII.

CONfeſſor prouectæ,ſanctæq. vitæ, quoad fieri poterit, Monialibus deputetur, qui quolibet biennio, vel ad ſummum triennio mutetur, niſi ex aliqua rationabili cauſſa, id tempus prorogandum Epiſcopo viſum fuerit. Atque iuxta Tridentini Concilij decretum, ſingulis quatuor menſibus, extraordinarius aliquis confeſſor aſſignetur,cui omnes, velint nolintque, confiteantur. Is autem confeſſor monaſterij ſepta ingredi non poſſit, niſi id ei à nobis conceſſum fuerit, excepta cauſſa miniſtrandi Sacramenta Monialibus graui morbo laborantibus.

CAP. VIII.

EX antiquioribus Monialibus, vna quolibet anno eligatur bonæ, & perfectæ educationis, quæ Rotara nuncupabitur, cui cura erit reſpondendi illis, qui aliquam Monialiũ alloquendi,aut alicuius alterius negotij cauſſa rotam pulſabunt,neque Moniali ipſi,qua cum aliquid tractandum erit,quicquam referet,illorum

lorum vice,qui eam quærent,niſi prius ab Abbatiſſa licentiam petierit,qua obtenta, Diſcretas certiores faciet,vt eam,quæ allocutura ſit, comitentur,collocutionibusq́; interſint: quod Rotara diligenter ſeruabit, ſiue vir, ſiue mulier ſit, qui cum Moniali colloqui cupierit. Si verò Rotara aduerſus hanc conſtitutionem fecerit,hanc pœnam ſubire teneatur,vt in Capitulo ad pedes cuiuslibet Monialis genuflexa terram oſculetur, & officio priuetur.

C A P. IX.

ABbatiſſæ, cæterisq́. Monaſterij officialibus interdicimus, nequid ex bonis Monaſterij,ſiue mobilia, ſiue ſtabilia ſint, vendere,locare,permutare,mutuare,aut quocunque alio titulo,aut modo alienare, ſine noſtra, vel Vicarij noſtri licentia: Abbatiſſam verò, aut quamcunque,quæ in hoc deliquerit, grauiter arbitrio noſtro puniemus.

C A P. X.

AMbitionem,veluti peſtem aliquam,Moniales fugiant,& contemnant. Itaque ipſarum nullà, neque per ſeipſas, neque per aliam officium in Monaſterio petere audeat. Nulli autem liceat, cum ſuperiores erunt eligendæ,

gendæ, prænſare, aut ea de re aliqua tractare, ſed vnaquæque in oratione Domino electionem commendans, ſtatuat quemadmodum ei à Spiritu ſancto fuerit inſpiratum. Quæ autem Monialis in horum aliquo deliquerit. vel o per menſem priuata exiſtat, voce autem actiua, & paſſiua, quandiu Epiſcopo videbitur.

C A P. X I.

ATque vt Moniliũ, ac Monaſterij bona, redditusq́. diligenti, atque exquiſita cura adminiſtrentur, ſtatuimus, vt à Monialibus procurator eligatur, & deputetur, qui pecuniam, & redditus exactos ſtatim Abbatiſſæ, & Cellararijs aſſignet, ac etiam quotannis, vel quando Epiſcopo videbitur, rationem ſuæ procurationis reddat. Ipſa quoque Abbatiſſa, aut aliæ Monaſterij Præpoſitę, quocunque nomine nuncupentur, quibus cura eſt, bona Monaſterij quocunque modo adminiſtrandi, ſingulis annis Epiſcopo, vel ab eo deputatis ſuæ adminiſtrationis, & reddituum per ipſas exactorum, & receptorum rationem reddere teneantur.

De

De Clauſura Monialium.

C A P. I.

IN Monaſterium, etiam per Rotam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, pueros, puellasq́, cuiuſcunque ſint ætatis, interdicimus intromitti. Locus autem, vbi Moniales cum ſecularibus loqui ſolent, ſemper ſeptus ſit, illiusq́, clauis apud Abbatiſſam exiſtat, nec ullo vnquam tempore aperiatur, niſi cum aut pater, aut mater Monialem filiam viſendam venerit, vel cum ſpiritualis ſermo aliquis adhibendus erit.

C A P. II.

INterdicimus omnibus ſub pœna excommunicationis, vt nullus audeat de nocte iuxta Monaſterium, vel cantare, vel citharam, aut lyram, aut muſicum aliquod inſtrumentum pulſare.

C A P. III.

PRæcipimus item ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ, vt cum Monialibus nemo abſque noſtra, vel Vicarij noſtri licen-

tia ſcripto obtenta, loquatur, etiam ſi ſanguine coniunctus ſit, patre, aut matre Monialis ipſius exceptis. Quapropter mandamus Rotaræ, vt ſiquis Monialem allocutum venerit, non antea Abbatiſſæ nuncium afferat, quàm licentiam ipſam noſtra, vel Vicarij noſtri manu ſubſcriptam ſibi oſtendere iuſſerit, eamq́. viderit, aliter arbitrio noſtro grauiter puniatur. Si verò aliqua ad rotam, vel ad feneſtellam cancellarum cum aliquo colloqui, qui licentiam non habet, reperta fuerit, per menſem qualibet ſexta Feria, cum pane, & aqua ieiunet, ac actiua voce & paſſiua, quamdiu Epiſcopo videbitur, priuata exiſtat.

CAP. IIII.

TEmpore Quadrageſimæ, atq; Aduentus nec non etiam Dominicis, & Feſtis, ac ſolemnibus diebus, quoniam tunc Religioſi omnes magis, quàm alio tempore contemplationi ſe dare conuenit, Abbatiſſa licentiam non concedet Monialibus loquendi cum exteris, niſi pro re neceſſaria id faciendum iudicauerit. Quo uerò die Moniales Sacratiſſimam Euchariſtiam ſumpſerint, omnino hanc licentiam concedere prohibemus.

C A P. V.

A Monialibus nihil cuiquam ſcribi permittimus abſque licentia Abbatiſſæ, cui ſiquæ literę extra Monaſteriũ mittendæ erũt, perlegatur, quibus lectis, ſi ita ei expedire viſum fuerit, eas mittendi facultatem concedat; ſi verò Monialibus ipſis ab alijs aliquid ſcriptum fuerit, Abbatiſſæ prius ab Rotara literæ deferantur, quæ Monialibus, quibus literæ ſcriptæ fuerint, ſiquid ſignificandum fuerit, ex eiſdem literis ſignificet. A Rotara autem, & non ab alijs huiuſmodi literæ, aut ſiquid aliud ſcriptum fuerit, recipiatur. Qui in aliquo dictorum deliquerit, arbitrio noſtro puniatur.

De Exercitio ſpirituali Monialium.

C A P. I.

SIngulis menſibus Moniales peccata confiteantur, & Euchariſtiam ſuſcipiant; quod ſumma cum deuotione efficere curabunt, vt inde maiorem fructum, ac ſpitituale adiumentum aduerſus Diaboli tentationes percipiant.

C A P. II.

ATque quoniam ijs, qui ſe Religioni obſtrinxerunt, mentalis oratio neceſſaria eſt, quo ſe omnino à ſeculi rebus facilius ſoluere, & omnem amorem in Chriſto Domino collocare poſſint, mandamus, vt ſingulis diebus Moniales in communi orationem vnius horæ faciant, hoc eſt, poſt matutinum, dimidiæ, poſt verò Completorium, alterius dimidię, mentali orationi intendant; quæ verò nondum ad huiuſmodi intelligentiam, aptitudinemq. peruenerunt; Roſarium Beatæ Virginis recitent; vel oratione vocali, iuxta cuiuſque deuotionem, ſe exerceant. Quæ ad hanc orationem venire neglexerit, prima vice in Refectorio quinquies orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitabit; ſecunda autem abſque petantia comedet, creſcente verò negligentia, grauioribus pœnitentijs arbitrio Abbatiſſæ corrigatur. Hoc etiam obſeruari ſtatuimus ab ijs, quæ Canonicis Horis non interfuerint pro qualibet Hora, in qua defecerint.

C A P. III.

CVm dies feſtus præcipuè Diuino ſeruitio dedicatus ſit, ſingulis diebus Dominicis

& fe-

& feſtis Sanctimoniales ſimul in vnum expleto Veſperarum officio conueniant, & ſaltim vnius horæ ſpatio librum aliquem ſpiritualem deuotè legant.

CAP. IIII.

PRæcipimus expreſſè Abbatiſſæ, vt ſaltim ſemel in menſe Feria ſexta, cum Capitulũ fiet, loco lectionis ſpiritualis, vt dictum eſt, has conſtitutiones Synodales, quæ ad regimẽ Monaſterij pertinent, legendas curet, quas quanto citius lingua vulgari exponendas curabimus.

De Confraternitatibus Laicorum.

CAP. I.

EXhortamur, & in Domino obſecramus omnes, qui in aliqua Sodalitate in Ciuitate, vel Diœceſi inſtituta adſcripti ſunt, nè tantum nomine ſodalitatis gaudeant, ſed regulæ atque inſtituti memores, viribus omnibus contendant ſuo mnneri ſatisfacere, ac leges, conſtutiones, & inſtituta Confraternitatis perfectè obſeruent, quæ licet ad peccatum nõ obligent, ſui tamen omiſſione, atque negligentia

fieri non poteſt, quin eos magni meriti atque gratiæ acceſſione priuent.

CAP. II.

CVm autem difficile ſit initam Dei gratiam retinere, & in bonis operibus perſeuerare ſine frequenti Sacramentorum vſu Confratres omnes exhortamur, vt ſaltem ſemel in menſe peccata confiteri, & Euchariſtiam ſumere velint; quod eò libentius facere debent, quòd eis id ex vna ſuæ Confraternitatis regularum præſcribitur. Atque vt frequentius ad hoc ſalutare opus accingantur, pro ea, quæ nobis facultas eſt, cuilibet quadraginta dies indulgentiæ ac remiſſionis condonamus, quoties peccatorum confeſſionem fecerit, & communionem perceperit.

CAP. III.

NEmo deinceps, ſiue Clericus, ſiue laicus exiſtat in Eccleſijs, vel Monaſterijs noſtræ Diœceſis nouam Confraternitatem ſine licentia, in ſcriptis à nobis obtenta, inſtituere audeat. Si laicus, aut Clericus ſecularis id facere audebit, excommunicabitur; Regularis verò interdicto ſupponetur.

Qui-

C A P. IIII.

QVicunque verò ad præſens Confraterni tatis alicuius magiſtri, ſeu procuratores ſunt, intra menſes tres rerum omnium, atque bonorum quorumcunque Confraternitatis au tenticum inuentarium conficiant, eiuſque exemplũ, publici Notarij fide munitum, nobis tradant, vt i lud in Archiuio noſtræ Curiæ conſeruetur. Siquid autem poſtea de nouo vel ex donatione, vel ex teſtamento, vel quomodo cunque Confraternitati obuenerit, de eo offi- ciales, qui pro tempore erunt, quocunque nomine nuncupetur, nos certiores faciant, vt inuentario ipſi addi, vel adſcribi poſſit, eiuſque memoria conſeruari.

C A P. V.

DEmum iuxta decretum Tridẽtini Conci lij mandamus, vt procuratores, magiſtri, aut alij cuiuſcunq; ſodalitatis, aut quorumcun que piorum locorum adminiſtratores, quocunque nomine nuncupati, in Viſitatione à nobis quotannis facienda, ſuæ adminiſtrationis rationem nobis reddant, ad idque etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellantur.

De Quæſtoribus. C A P. I.

NEmini liceat per ciuitatem,& Diœceſim noſtram eleemoſynarũ quæſturam exercere abſque licentia noſtra; etiam ſi ſuper hoc Literas Apoſtolicas impetrauerint, quibus quidem vti minimè poterunt,niſi ante nobis,vel Vicario noſtro illas exhibuerint,& ſcripto licentiam habuerint, vt hac prouiſione omnis tollatur occaſio fraudis.Ac ſi interdum cõtingeret,vt horum aliquis, quemadmodum ſæpe euenire ſolet, Indulgentias, & miracula annunciare,aut contra decretum Concilij Tridentini prædicare audebit, ſtatim à Vicario illius loci carceribus mancipetur,&pro qualitate delicti ſeuerè puniatur.

De Teſtibus Synodalibus; & quæ ad Synodi obſeruationem pertinent.

C A P. I.

ETſi vtile admodum ac neceſſarium eſt,leges condere, vtilius tamen, & magis neceſſarium eſt eas obſeruari, cum inanis omnino ſit illarum præſcriptio,niſi ſalutaris acceſſerit obſeruatio. Quamobrem iuxta ſacrorum Canonum inſtituta,conuenire viſum eſt,viros

aliquos

aliquos eligere,teſtes Synodales nuncupatos, qui grauitate,prudentia,atque probitate vitæ polleant, quibus illa cura erit,vt huius Synodi conſtitutiones, quò perfectius poteſt,obſeruationi mandentur, ſedpræcipua tamen, vt quæ de vita boniſque moribus Clericorum, de cultu Eccleſiarum,diuinisq.officijs decreta ſunt, obſeruentur : item an Parochi, & qui curam habent animarum,ſuo munere,vt par eſt,fungantur,maximè quo ad Sacramentorum adminiſtrationem attinet; & demum Epiſcopo deferant,qui abuſus,quæuè in Clericis, aut Laicis inconuenientia irrepſerint, quæ ad præſentem Synodum pertinebunt. Teſtes autem Synodales, quos in præſenti Synodo ſtatuimus & deputamus, ſunt infraſcripti : in Ciuitate Hoſtuni, RR. Abb.Ioannes Calcaneus, Abb. Lucius Baniardus; in Terra ſancti Viti, R.D. Antonius de Galaſſo; in Terra Carouinei, R. D. Antonius de Leo;& in Terra Lociroturdi, R.D.Laurentius de Serio.

C A P. II.

IN omnibus autem conſtitutionibus, atque decretis, in quibus nulla pœna præſcribitur, declaramus, illam noſtro arbitrio eſſe reſeruatam. In quibus verò adſcripta reperitur, ob id nullum nobis præiudicium illatum eſſe intelli-

intelligatur, quo minus in delinquentes, etiam iuxta ſacros Canones animaduertere poſſimus; ad quarum executionem pœnarum poſt menſem à præſentis Synodi publicatione procedetur, poſt cuius quidem temporis lapſum decernimus, omnes ad plenam ipſius Synodi obſeruationem teneri, ac etiam illius, quod ſigillatim ad vnumquemque dignoſcitur pertinere.

CAP. III.

ATque, vt nemo ignorantiam opponere valeat, præcipimus, vt in omnibus Eccleſijs bis ſaltem quotannis, Paſchate videlicet ac Natali, Coram Capitulo, & Clero tota ſynodus, vel ea ſaltem capita legantur, quæ Clericorum vitam, & honeſtatem, Eccleſiarũ cultum, Miſſarum, atque Diuinorum officiorum celebrationem, Parochorum officium, & id genus alia, præſertim ad Clericos pertinentia, contineant. Sacerdotes, & cæteri in ſacris ordinibus conſtituti, & beneficiati quicunque huius Synodi librum habeant, qui aſſiduo in eorum manibus verſetur, quùm primum typis impreſſus, in lucem prodierit. Itemq. mandamus vt in ſacriſtia cuiuslibet Eccleſiæ totius Diœceſis idem liber commoditatibus Clericorum ſemper adſit.

CAP.

C A P. IIII.

POſtremo ſinguli Deo pro munere grátias agamus, qui dignatus eſt nobis tantum luminis impartiri, vt quæ pro bono regimine atque diſciplina huius Diœceſis ſtatuere opus eſſet, cognoſcere potuerimus, eumque obnixe deprecemur, vt quemadmodum nobis cognoſcendi, ita etiam quæ decreta ſunt ad laudem & honorem ipſius, ac populi nobis commiſſi ſalutem, exequendi facultatem elargiatur. Omnia denique, quæ in præſenti Synodo acta, atque ſtatuta ſunt, iudicio & poteſtati, atque correctioni Sanctæ ſedis Apoſtolicæ, omni qua decet reuerentia, & obedientia ſubijcimus.

LAVS DEO.

Illuſtri atq; Reuerendiſsimo vti fratri Domino Epiſcopo Hoſtuni.

Illuſtris atq; Reuerendiſsime Domine vti Frater.

NOn eſt in more poſitum apud Patres Illuſtriſſimos qui Tridentini Concilij decretis interperetandis præfecti ſunt, Diœceſanas Synodos recognoſcere, ſed Prouinciales tantum emendare. Quare vt voluntati vereque paſtorali Amplitudinis T. zelo in tuæ Synodi correctione quoquo modo ſatis per me fieret, illud pro mea in te & in Eccleſiam tuam charitate mihi ſumpſi, vt Synodum ipſam percurrerem, ſimulq. ea adnotarem, quæ notatu digna viſa ſunt, quemadmodum licebit in extremis ipſius Synodi pagellis vbi noſtras animaduerſiones adſcripſimus inſpicere. Quod ſupereſt tuq. Clerusq. tuus tot ſalutarium conſtitutionum obſeruationẽ nauiter incumbite, memores vnam optimamq. legem eſſe legum obſeruantiam. Valete in Domino. Romæ prid. Kal. Decembris. M. D. LXXXVI.

Amplitudinis T. Perilluſtris atq; Reuerendiſ.

Vti Frater ſtudioſus A. Card. Carafa.

Proximis Epistola libro in principio Synodi dioecesanae Eccl[illegible] [illegible] celebrata a Luca Antonio [illegible] anno 1562. Altra super[illegible] 1564 in 4°

ERRORES SIC CORRIGITO.

Pag. 9. aceeſſiti. lege.	accerſiti.
13. eius abuttentium	eis abutentium.
16. Bap. 11.	Cap. 11.
Menſes qui in pag. 18. 19. 20. 21. recenſentur, ſunt legendi omnes ſic. Ianuario, Februario, Martio, &c.	
27. pretio retmat	pretio reemat, quàm ipſe &c.
31. inanis	in ani-
36. temdore	tempore.
38. argenteſue	argenteiſue
42. profectè	perfectè.
47. varia. diuerſa	varia, & diuerſa.
48. æruminoſa	ærumnoſa
55. Vt Eccleſia.	Vt in Eccleſia.
70. impedimentum	impedimentorum.
74. Iuciſio	Inciſio.
81. quo iungit	quo inungit,
82. illum conſulentur	illum conſolentur.
86 addiſcete	addiſcere.
111. accipites	accipitres
134. antiquum	antiquam
Menſes quoq. in pag. 139. 140. 141. 142. appoſiti, legendi ſunt omnes ſic. Ianuario, Februario, Martio &c.	
140. Cathedras Petri	Cathedra S. Petri.
143. Clerici Ordini	Clericali ordini
145. qui cum per	qui cum per &c.

Hoc Responsum adfertur a Manno-chio de Synodo diocesana cap: XV. Quaesito C. seu 100. pag: 105. = et mendose pro Epo [illegible] dicitur [illegible] in [illegible] mayca[illegible] 1627. =

1A1
1528235

[illegible]